



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Cogitationes, Sive Considerationes Christianae Pro singulis Anni diebus**


Complectens Aprilem, Majum, Junium

**Nepveu, François**

**Monachii, 1709**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60514)





Th. 4505.


L III

6.









COGITATIONES,

*Sive*

CONSIDERATIONES  
CHRISTIANÆ

Pro singulis Anni diebus.

AUTHORE

R. P. FRANCISCO NEPVEU  
SOCIETATIS JESU.

Latinæ redditæ

A

P. ANDREA LEUCKART

Ejusdem Societatis Sacerdote.

TRIMESTRE SECUNDUM.

*Complectens*

Aprilem. Majum. Junium.

*Cum Gratia, & Privil. Sac. Cesar. Majest.*

*Permissuque Superiorum.*

*Collegii Societ. Jesu Paderbornæ ab 1710*

MONACHII,

Sumptibus JOANNIS JACOBI REMY Bibliopolæ.

Typis Mathiæ Riedl, Anno M. DCC. IX,

COGITATIONES

CONSIDERATIONES  
CHRISTIANAE

Pro huiusmodi Annotandis

AVTHOR

R. P. FRANCISCO NEPVEU

SOCIETATIS IESU

Licentia

P. ANDRÉA FLICKART

Eiusdem Societatis Sacerdote

TRIMESTRE SECUNDUM

Compositum

Apud M. J. J. J. J.


Curatoribus P. J. J. J. J.

Typis M. J. J. J. J.

MORICHII

Imprimatur Joannis Jacobi R. J. J. J.

Typis M. J. J. J. J. Anno M. DCC. LX.



I N D E X

C A P I T U M

Hoc secundo Volumi-  
ne contentorum.

Aprilis.

- Dies 1.* De dignitate Christiani.  
*Dies 2.* De obligationibus offi-  
cio Christiani annexis.  
*Dies 3.* De voluntate Dei.  
*Dies 4.* De fine hominis. Tota  
nostra gloria in eo consistit, ut  
Deo serviamus.  
*Dies 5.* De cordis divisione.  
*Dies 6.* De morte.  
*Dies 7.* De iudicio universali.  
Mali de reatu convicti.  
*Dies 8.* De cura salutis. Salus  
magnum est negotium.  
a 2 *Dies 9.*

*Index*

- Dies 9.* De suavitate pœnitentiæ.  
*Dies 10.* De immoderato divitiarum amore.  
*Dies 11.* Remedia iræ.  
*Dies 12.* Peccatum libidinis excitatis causa est.  
*Dies 13.* De natura Teporis.  
*Dies 14.* De peccato veniali.  
*Dies 15.* De humilitate, seu necessitate gratiæ.  
*Dies 16.* De patientia.  
*Dies 17.* De amore Dei.  
*Dies 18.* De omnipotentia DEI.  
*Dies Sabbati* Dominicam Palmarum præcedens. De doloribus internis Christi patientis ob imminentes sibi cruciatus.  
*Dominica Palmarum.* De doloribus Christi internis intuitu nostrorum peccatorum.  
*Feria 2. Hebdomadæ majoris.* JESUS in sua Passione amoris nostri scopus.

*Feria*

*Capitulum.*

*Feria 3. Hebdomadae majoris.* JESUS in Passione sua amoris nostri scopus.

*Feria 4. Hebdomadae majoris.* JESUS in sua Passione nostrae commiserationis objectum.

*Dies Jovis sanctus.* JESUS in sua Passione confidentiae nostrae objectum.

*Dies Parasceves.* JESUS in sua Passione Imitationis nostrae objectum.

*Sabbatum sanctum.* De Doloribus Beatissimae Virginis.

*Festum Paschatis.* Resurrectio Christi fundamentum est Fidei nostrae.

*Feria 2. Pascha.* Resurrectio Christi spei nostrae incitamentum.

*Feria 3. Pascha.* Resurrectio Christi archetypon est nostrae.

*Die 8. Pascha.* De Vulneribus Christi Domini.

*Index*

**Majus.**

- Dies 1.* de fine hominis. Felicitatem nostram invenimus, ubi Deo servimus.
- Dies 2* de cura salutis. Salus unicum nostrum est negotium.
- Dies 3.* De peccato mortali.
- Dies 4.* De morte peccatoris.
- Dies 5.* De morte justorum.
- Dies 6.* de judicio. De manifestatione criminum.
- Dies 7.* De verme conscientiarum damnatorum.
- Dies 8.* De Paradiso cœlesti.
- Dies 9.* De poenitentiarum necessitate.
- Dies 10.* De detractione.
- Dies 11.* De intemperantia.
- Dies 12.* De malo exemplo.
- Dies 13.* De fuga occasionum.
- Dies 14.* De frequenti Confessione.

De

*Capitulum.*

- Dies 15.* De frequenti Commu-  
nione  
*Dies 16.* De remissione injuria-  
rum.  
*Dies 17.* De cognitione sui ipfi-  
us.  
*Dies 18.* De oratione.  
*Dies 19.* De vera pietate in Bea-  
tissimam Virginem.  
*Dies 20.* De munere, quod ve-  
ro Christiano incumbit Chri-  
stum sequendi.  
*Dies 21.* De Mysterijs vitæ Chri-  
sti occultæ.  
*Dies 22.* De mansuetudine.  
*Dies 23.* De separatione sui à  
mundo.  
*Dies 24.* De regulis charitatis er-  
ga proximum.  
*Dies 25.* De gradibus consensûs  
voluntatis nostræ cum divina.  
*Dies 26.* De præsentia DEI.

## Index

*Dies 27.* De suprema perfectione  
DEI.

*Dies Ascensionis Domini.*

*Dies Pentecostes.* De causis De-  
scensûs Spiritûs sancti.

*Feria 2. Pentecostes.* De fine, ob  
quem Deus Spiritum sanctum  
nobis misit.

*Feria 3. Pentecost.* De effectibus,  
quos Spiritûs sancti adventus pro-  
creat.

## Junius.

*Dies 1.* De necessitate Fidei.

*Dies 2.* De mensura gratiarum.

*Dies 3.* De fine hominis. Justum  
est, ut homo seruiat Deo, quia  
ipsum est Redemptor.

*Dies 4.* De Morte. Mortem non  
immoderatè timendam.

*Dies 5.* De Judicio. Deum erga  
reprobos justum esse, iudicium  
demonstrabit.

*Dies 6.* De Inferno.

*Dies*

*Capitulum.*

*Dies 7.* De obstaculis salutis. Ne-  
gotium salutis difficile est.

*Dies 8.* De peccato mortali. Pec-  
catum est unicum hominis ma-  
lum.

*Dies 9.* De peccato veniali.

*Dies 10.* De duritia cordis.

*Dies 11.* De vana gloria.

*Dies 12.* De respectu hominum.

*Dies 13.* De signis teporis.

*Dies 14.* Alia teporis signa.

*Dies 15.* Quàm parùm nobis con-  
stet, an in statu gratiæ simus.

*Dies 16.* De reverentia in æde sa-  
cra.

*Dies 17.* De adversis.

*Dies 18.* Quàm amplum sit præ-  
ceptum amoris in Deum.

*Dies 19.* De humilitate.

*Dies 20.* De mortificationis ne-  
cessitate.

*Dies 21.* De intentionis puritate.

*Festum Sanctissimæ Trinitatis. De*  
*Mysterio SS. Trinitatis.*

*Index Capitum.*

- Festum SS. Corporis Christi.* De effi-  
cacia amoris J. C. in Eucharistia.  
*Dies 2. Octava.* De liberalitate a-  
moris JESU Christi in sanctissi-  
ma Eucharistia.  
*Dies 3. Octava.* De teneritudine  
amoris Christi in S. Eucharistia.  
*Dies 4. Octava.* De generositate  
amoris Christi in S. Eucharistia.  
*Dies 5. Octava.* Quosnam fines  
Christus in S. Eucharistia sibi  
præfixerit.  
*Dies 6. Octava.* De obstaculis, quæ  
consilijs Christi in S. Eucharistia  
ponimus.  
*Dies 7. Octava.* De præparatione  
ad S. Communionem.  
*Dies 8.* De malo S. Communionis  
usu.

**F I N I S**  
**Indicis Capitum,**

CON-



Aprilis,

# CONSIDERATIONES CHRISTIANÆ.

*pro singulis Anni diebus.*

## A P R I L I S.

### D I E S I.

*De dignitate Christiani.*

I.



Uid est Christianus ? est Ho-  
mo, qui peculiariter respicit  
Deum Patrem, cujus filius  
per Baptismum evadit. Quid  
majus, quid sublimius esse  
potest? quod Christus est è natura, id Chri-  
stianus est ex adoptione. In sua, ut ita  
loquar, regeneratione spirituali accipit id,  
quod certo modo Verbum accipit in gene-  
ratione æterna: *accepimus enim*, ut S. Pau-  
lus ait, *spiritum filiorum adoptionis*, vi cujus  
Deum appellare Patrem nostrum audemus,  
quippe qui verè filij, & hæredes Dei su-  
mus. Generatio Christi, inquit S. Augusti-  
nus, archetypon est regenerationis nostræ

*Rom. 8.  
v. 15.*

*Ea gratia  
fit ab initio*

A per

Aprilis.  
 fidei Homo  
 quicumque  
 Christianus,  
 qua Homo  
 ab initio fa-  
 ctus est Chri-  
 stus. Aug. de  
 Præd  
 Eodem spiri-  
 tu replente  
 fontem, qui  
 replevit  
 & Virginem.  
 S. Leo serm.  
 4. de Nativi.

Vos estis Cor-  
 pus Christi,  
 & membra  
 de membro.  
 1. Cor. 12.  
 v. 27.

per Baptismum factæ. Utraque eandem ha-  
 bet originem, nempe spiritum sanctum.  
 Una contingit in utero Mariæ Virginis si-  
 mul, & Matris; altera in gremio Ecclesiæ  
 puræ juxta, ac fæcundæ. Scopus primæ  
 est Christus, id est Homo-Deus. Secun-  
 dæ Christianus, quod idem est, ac Homo  
 divinus. Potuissetne Deus, inquit S. Jo-  
 annes, potentioribus amorem suum argu-  
 mentis nobis testari, nostramque gloriam  
 altiùs evehere, quàm dum verè Dei filios  
 nos effecit? possumusne ingrati nostri ani-  
 mi majora dare indicia, quàm ignominiam  
 creando gloriosæ huic dignitati, scelerata  
 æquè, ac probrosa vivendi ratione?

II. Quid est Christianus? est Homo,  
 cui à natura insitum est, ad Christum essen-  
 tialem habere relationem, cujus ipse mem-  
 brum est. Quid gloriosius? omnes Chri-  
 stiani, inquit Apostolus, non nisi unum  
 conficiunt corpus, cujus caput est Chri-  
 stus. Atque hujus capitis membra sunt  
 virtute Baptismatis eos Christo unientis,  
 unione verissima, cum articulum fidei con-  
 stituat; unione re ipsa constante, quia ejus  
 principium est spiritus sanctus: duo hujus  
 unionis termini sunt Christus, & quivis  
 Christianus; nexus, quo colligantur, sunt  
 fides & charitas. Effectus illius sunt om-

nea

nes gratiæ, quas Christianus in Baptismo accipit. Quid verius? unione prorsus intima, quia per eam spiritu Christi animamur; eadem enim vita, qua ipse, vivimus. Unione sublimissima, cum eam Servator comparet illi, quam ipse cum Patre suo habet: *Ego in eis & tu in me.* Aded, ut, quemadmodum Apostolus ait, *fiamus divine consortes nature.* Nisi Christus Dominus, qui nobis has gratias conciliavit, ipsemer id asseverasset, possemusne credere? si verò credimus, quæ fieri potest, ut non sublimiores animi sensus concipiamus, nec vitam fidei nostræ congruam agamus?

Aprilis.

10. 17. v. 25.

2. Petr. 1. v. 4.

III. Quid est Christianus? est Homo, qui per Baptismum peculiarem habet relationem ad spiritum sanctum; cujus ipse Templum efficitur. *Nescitis, quia Templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis?* Imò in Baptismo iidem adhibentur ritus, qui in Templis consecrandis usurpari solent. Eijcitur diabolus per exorcismos ex anima illius, qui Christianus evadit. Consecratur per sacrum Chrysmata ad indicandam unctionem gratiæ, per quam spiritus sanctus se ipsius cordi infundit, ejusque possessionem adit per mysticum sacerdotis Baptismum conferentis afflarum, & quod consequens est, principium fit, & objectum

1. Cor. c. 13.

Aprilis.

1. Io. 1.

cultûs illius, quem Christianus ei exhibet in hoc Templo per actus fidei, spei, & charitatis. Sanctus iste spiritus gemitibus tam efficacibus in eo orat, ut semper exaudiatur. ipse author est omnium actionum supernaturalium, quas Christianus exercet. Idcirco illæ tanti sunt meriti, ut tribuere nobis certumius possint ad possidendum Deum, neque quisquam est, excepto Deo, qui Dei possessionem tribuere nobis possit. Potestne Deus, quantumcunque potens sit, majori hominem honore afficere, quàm si eum filium Dei, membrum, & fratrem Hominis - Dei, & Templum spiritûs sancti, qui Deus est, efficiat? Imò S. Ioannes asserit, nos per Baptismum inire societatem cum Patre, & filio, & quod consequens est, cum spiritu sancto. Quàm gloriosa hæc est societas?

*Conare cogitationes concipere, vitam agere, dignitati tam sublimi, ut illa est Christiani, consentaneam.*

Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & simus.  
*Joan. 11. v. 3.*

Agnosce, O Christiane, dignitatem tuam, & divinæ factus consors naturæ, noli in pristinam vilitatem degeneri conversatione redire. *S. Leo.*

DIES

DIES II.

De obligatiōibus officio Christi-  
tiani annexis.

I.

**T**RIA illa commoda, quæ Christiani Ho-  
minis dignitas nobis affert, totidem  
nobis obligationes injungunt, quæ ad  
Christianismum referuntur. Dignitas  
filiorum Dei, ad quam in Baptismo eve-  
himur, nos obligat ad eam magni facien-  
dam, ad eam pia vivendi ratione hono-  
randam, ad habendam animam genero-  
sam, ut sancta quadam superbia despicia-  
mus, quidquid Deo minus est, nobisque  
majori honori ducamus, quòd Christiani  
simus, quàm si ad summam, quasque dig-  
nitates essemus evecti, Exemplo sancti  
Ludovici, qui nomen à loco, in quo sacro  
fonte ablutus est, sibi tribuit, majorem se  
reputans, quòd nomine Christiani, quàm  
Regis Franciæ insignireretur. Illa nos obli-  
gat, ut gloriosum hoc nomen turpi pro-  
bro non exponamus per abjectas cogitatio-  
nes, & indignos, ac flagitiosos actus, qui  
mancipia nos diaboli reddant. Quid?

A 3

án-

Aprilis.

anne bene inter se conveniunt filius Dei, & servus diaboli? illa nos obligat ad fovendum timorem reverentem, submissionem perfectam, amorem sincerum erga tantum, tamque benignum Patrem. Denique, cum hæc obligatio nobis in mentem revocet, Deum patrem nostrum esse, efficit, ut etiam oculos ad Cælum patriam nostram attollamus, ad quam nobis identidem anhelandum; terram verò, velut exilij nostri locum, ubi perpetuò nobis ingemiscendum, aversemur.

II. Ratio, qua in sacro lavacro Christi membra efficitur, nos obstringit, ut conservemus quocumque demum pretio unionem, in quam tunc cum ipso per fidem, & gratiam coalescimus, ut eodem semper Spiritu, quo ipse, animemur, ut easdem, quas ipse, cogitationes mente volvamus; ut eadem, qua ipse, vita vivamus, ut dicere cum Apostolo possimus: *Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus.* Ipse est, qui vult, qui cogitat, qui agit in me. Ut fugiamus, quidquid hanc unionem vel rumpere, vel debilitare potest. Ut vivamus vita fidei; quia non nisi per hanc Christiani sumus. Ut huic corpori fædis obscenitatibus labem non aspergamus, memores, nos membra Christi esse. Quid  
Chri-

*Gal. 2.*

*Iustus autem  
meus ex fide  
vivit. Hebr.  
10. 37.*

Christo ignominiosum magis, quàm, ut S. Paulus ait, *ejus membra facere membra meretricis*? vitium Castitati contrarium species quædam sacrilegij evadit.

Aprilis

1. Cor. 6.  
v. 16.

III. Si per Baptismum Christiani effecti Templum spiritûs sancti evadimus, revereri nos, ut rem sanctam, Deoque consecratam debemus, sic Apostolus Christianos appellat sanctos. Si prophanatio sacrarum ædium, & vasorum tantum crimen est, si eam Deus tam horrendè punijt, quàm rigidas à nobis pœnas reposcet, si animas nostras spiritûs S. Sponsas peccato violaverimus? Si tam ardenti studio in Tempia lapidibus extructa fertur, quàm incenso studio in templa spiritualia flagrabit? *Siquis Templum Dei violaverit, inquit Doctor gentium, disperdet illum Deus: Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.* Si spiritus sanctus in nobis residet, tum animæ nostræ anima quodam modo est. Itaque ejus motibus obsequendum, cavendumque, ne eum affligamus: quod tamen fit, si illis motibus non obsequamur. Cavendum, ne eum extinguamus, ut ait Apostolus. Quod facimus, si ejus gratijs nos opponamus, ut nostris immoderatis obtemperemus cupiditatibus. Cavendum, ne posthac mancipiorum instar è timore,

1. Cor. 13

*Nolite contristare spiritum sancti*  
Ephes. 4.

*Spiritum nolite extinguere.*

1. Thessal. 5.  
19.

Aprilis

sed potius amore operemur, ut filij; cùm lex spiritûs sancti lex sit amoris.

*Imitare morem sanctæ illius Virginis, quæ debitam Christo fidem negare jussa, ad promissasque sibi intentatas aliud non respondit; nisi: Christiana sum.*

Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est ejus. *Rom 8. 9.*

Esse Christianum grande est, non videri. *Hier. Epist. 13.*

## DIES III.

## De voluntate Dei.

## I.

**Q**uemadmodum voluntas Dei infinite Sancta est; sic & omnis sanctitatis norma est, & mensura. Et tota nostra perfectio in eo versatur, ut illam sequamur, atque id agamus, quod Deus vult, & uti Deus vult, & quia Deus vult. Perfectio nostra in hoc consistit, ut voluntatem Dei impleamus; non verò in eo, ut precibus, jejnijs, & animabus ad Christi fidem convertendis nos impendamus; sed, ut id agamus, quod Deus à nobis requirit. Hæ actiones, quantumcunque bonæ sint, nisi

nisi ad hujus voluntatis normam exigantur, bonæ non sunt; hac intentione nisi animentur, imperfectæ sunt. Actiones, quibuscunque demum virtutibus instructæ sint, in vitia degenerant, nisi è divinæ præscripto voluntatis obeantur. Actiones penitus adiaphoræ, id est, quæ reapse nec bonæ, nec malæ sunt, in virtutum numerum veniunt, si juxta divinam voluntatem fiant. *Omnia tempus habent*, inquit sapiens. Non semper tempus est peccata sua deplorandi, corpus pænis ultrò susceptis divexandi, orandi, laborandi; at semper tempus est voluntatem Dei faciendi. Atque hanc semper facimus, si mandata Dei servemus, si consilia statui nostro propria sequamur, si motibus gratiæ respondeamus, si ea, quæ conditio nostra exigit, præstemus, si functiones muneri nostro proprias exequamur, si præsidum, & moderatorum nostrorum jussibus obtemperemus.

II. Ut perfecti simus, non satis est agere, quod Deus vult; sed agere oportet eo modo, quo ipse vult: agite bonum, inquit spiritus sanctus; sed agite eo modo, quo agendum est. Agere id, quod Deus vult, & non agere eo modo, quo Deus vult, est bonum malè agere, atque idem,

Aprilis.

ac nihil agere. Bonum agere eo modo, quo Deus vult, est id agere cum omnibus adjunctis, quæ actionem aliquam reddere perfectam debent. Primò, videlicet agere eo tempore, quo ipse vult. Idcirco orare, quando operandum; operari, quando orandum; loqui, cum tacendum; tace- re, cum loquendum est, non est bonum agere eo modo, quo Deus vult. Secundò, agendum est bonum, ubi Deus vult. Si hæc materfamilias moratur in templo, cum domi esse deberet ad rem familia- rem administrandam; si religiosus iste so- litarius concionando, vel cum alijs con- versando se occupet, cum in solitudine esse deberet: isti bonum non agunt eo modo, quo Deus vult. Tertiò, Bonum facere, sicuti Deus vult, est id facere ea methodo, qua Deus vult, Id est, cum circumspe- ctione, & fervore. Is, qui imprudenter, & negligenter facit bonum, id non facit, ut Deus vult; itaque præmium neuti- quam, sed Dei potiùs maledictionem mere- tur: quia bonum non agit, quemadmodum Deus vult. Hæc, cum ita se habeant, egistine aliquando boni aliquid?

*Maledictus  
qui facit  
opus Dei  
fraudulen-  
ter. Jerem  
48. 10.*

III. Bonum denique agendum, quia Deus vult; cuius voluntas esse debet vel unica, vel certè præcipua actionum no-

stra-

strarum causa. Opera in se vilissima, hac causa movente, elevata, evadunt supernaturalia, & sanctissima in se fiunt meliora. Hæc via ad sanctitatem tuta est, & Brevis. Felix ille, qui eam tenet. Itaque si in agendis, quæ Deus vult, commodum tuum, vel oblectationem invenis, necessarium est, ut oculos mentis ab hoc tuo comodo avertas, eosque in solam Dei voluntatem, quæ in ijs invenitur, intendas. Deus vult, ut maritus, & uxor mutuò se ament, liberos suos tenero amore amplectantur, eorumque sustentationi provideant; ita tamen, ut id non proficiatur ab affectu solum naturali, vel solo rationis instinctu, multò minùs spiritu proprii commodi, aut ambitionis ad hoc eos impellente; sed ex voluntate Divina, quæ ipsos in hoc statu posuit. Agere affectu naturali est agere more hominis: agere secundum rationem est Philosophi instar agere; sed agere intuitu voluntatis divinæ Christiani est. *esne animo sic comparatus?*

*statue non aliam quidquam agendi causam admittere, præter solam Dei voluntatem; & assuesce sæpè propriae tuæ voluntati renuntiare.*

Vocaberis voluntas mea in ea. Isa.

6. 62. v. 4.

Quar-

Aprilis.

Quando poterit anfractuosa voluntas ei uniri, quæ rectissima est? Bern. serm. 6.

## DIES IV.

## De Fine Hominis.

Tota nostra gloria in eo consistit, ut Deo serviamus.

## I.

**N**ihil æquè gloriosum est, ac Deum glorificare. Tanto Domino servire, regnare est. Deus verè magnus est; nec magnum quid invenitur extra ipsum, & quod ad ipsum refertur. *Tu solus altissimus.* Quod nobis magnum videtur, magnum non est; nisi per comparisonem; totam suam magnitudinem parvitati nostræ debet; magnum nobis creditur, quia nos pusilli sumus; & semper erimus, si quid magnum, excepto Deo, ejusdemque gloriâ esse crediderimus. Gloria Christi, quatenus Homo est, etsi res ad eò sublimis sit, gloriæ Dei tamen comparata nihil est. *Gloria mea nihil est.* Quid igitur esse potest gloria omnium heroum, quàm minùs nihilò? quid esse potest modicum commodum, quid phantasma alicujus gloriolæ inanis, quod divinæ gloriæ quotidie præhabemus?

II. Ve.

II. Verum itaque est, orationem quan- Aprilis,  
dam bene factam, contemptum sui luben-  
ti animo acceptatum, sui ipsius victoriam  
loco, ac tempore congruo exercitam, opus  
aliquod bonum, actum virtutis quemcun-  
que, qui ad Deum refertur, & ad eius glo-  
riam dirigitur, rem esse majorem, magis-  
que gloriosam, quàm summi momenti ne-  
gotiationes, quàm administrationes, &  
expugnationes alicujus imperij. Credis-  
ne hoc? ah! si crederes, ommitterésne tam  
facile tua pietatis exercitia? peragerésne  
ea tanta animi socordia? negligerésne adeò  
remerè omnia ea, quæ ad gloriam Dei spe-  
ctant? Interea fidei articulus est, non mi-  
nùs verus, quàm verum est, omnia ea,  
quæ in mundo maxima, summèque glo-  
riosa habentur, coram Deo nihil esse.  
*Quasi non sint, sic sunt coram eo.* Si igitur  
ad gloriam anhelamus, necessarium est,  
ut hìc ambitionem nostram exerreamus. *Isa. 40. 17.*

III. Quid diceres de viro, qui, cùm uni-  
versum Mundi imperium ei administran-  
dum incumberet, insani illius imperatoris  
more velut maximi momenti negotium,  
in se susciperet muscarum venationem,  
universi interea orbis gubernatione neg-  
lecta; sermo hìc est de unico homine, in  
quem tanta cadere potuit insania. *anne*  
*tua*


Aprilis.

tua minor est? natus es eum in finem, ut incumbas ad illud ipsum negotium, quo Deus ab omni æternitate se occupat, nimirum gloria sua, & salute tua. Nihilominus ad curas frivolas te abijcis, totum te millenis nugis involvis; quæ quantascunque demum esse phantasia, vel cœcitas tua tibi persuadeat, non tamen nisi pueriles nugæ sunt. Potestne hujusmodi agendi ratio sine indignatione, aut commiseratione spectari? potestne quis hujus insanix reum se agnoscere absque sui confusione, eamque emendandi proposito?

*Erubescere de ignavo, & abjecto animo tuo, quod, cum ad tam sublimia, & ad negotium, cui Deus ipse se impendit, tractandum natus sis, ad nugas tam futiles te abijcias.*

Ut cognoscant, quia nomen tibi Dominus: Tu solus altissimus in omni terra. *Psal. 82. v. 19.*

Diu parvus erit, qui aliquid magnum reputat, præter unum, æternum, & immensum bonum. *Imit. Christi. Lib. 3.*



DIES

☉☉:☉☉☉☉:☉☉:☉☉☉☉:☉☉☉☉ Aprilis.

## DIES V.

## De cordis divisione.

## I.

**C**OR nostrum Deum inter, & Creaturas partiri res iniqua est. Deus enim illud soli sibi formavit; solus id pretioso filij sui sanguine redemit. æquum proinde est, ut solus id possideat: is non dimidium solummodò cordis nostri, sed totum, & integrum exigit; igitur ei totum non donare, idem est, ac nihil penitus ei donare. Is non tantum præcipit, ut se amemus, sed ut corde nostro amemus. non tantum nos obligat ad sibi serviendum, sed sibi soli serviendum. Cor nostrum tantillum est, cum Deus tantus sit; an nimium esse credis, si totum ei des? immensus cum sit, an non omnem ejus capacitatem replere potest? se totum tibi cum det, an nimium esse putas, si totum te ipsi dederis? *Væ duplici corde,* inquit Spiritus sanctus. An non & tu hujus maledictionis es particeps? tu, qui cor tuum Deum inter, & Creaturas partiri cupis?

*Præbe fili  
cor tuum  
mihi.*

*Prov. 23.  
v. 26.*

*Eccl. 2. 14.*

II. Hæc divisio Deo injuriosa est. Nimum honoris Mundo tribuimus, si eum  
Deo

Aprilis.

Isai 46. 5.

Deo comparemus, & cor nostrum Mundum inter, & Deum partiri velimus: & verò Mundus huic partitioni lubens acquiescit: Verùm hujusmodi competitorem Deo jungere, est ei ignominiam creare, & injuriam inferre; *cuj me assimilastis?* cum indignatione ait: si mei penitus fuissetis obliti, minùs graviter ferrem. Tessera militaris veri Christiani esse debet illud Principis Angelorum fidelium: *quis ut Deus?* quis est, qui audeat cor meum sibi asserere, vel id inter Deum, & se partiri? an credimus, solum Deum illud satiare non posse? cur igitur opem à Creaturis mendicamus? Deus solus felicitatem numeris omnibus absolutam sanctis Cœlorum incolis per totam æternitatem affert; & eam durante hac vita nobis asserere non poterit? ipse sibi sufficit, seque supremè beatum reddit; & nobis non sufficiet, nec reddere nos beatos poterit? nimium avarus, vel potius cæcus est, *cuj Deus non sufficit.*

III. Hæc divisio impossibilis est: *Nemo potest duobus Dominis servire*, inquit Servator; si honorat, & amat unum, alterum certissimè contemnet, & odio ab eo dissidebit; præsertim, si duo isti Domini ita inter se contrarij sint, ut Christus, & mundus. Nam eorum studia, commoda, &

pro-

propensiones adeò inter se dissident, ut con- Aprilis.  
ciliari neutiquam possint : quæ societas,  
inquit Apostolus, *Luci ad tenebras ? quæ  
autem conventio Christi ad Belial* , hoc est,  
Mundum ? Deus unicum nostrum princi-  
pium est, & idcirco unicus noster finis esse  
debet. Omnis via, quæ ad hunc nos ter-  
minum non perducit, nos haud promovet,  
sed à recto tramite abducit, & retrò pellit.  
Dei non totum esse, est Dei penitus non  
esse. Qui aliquid tecum amat, Domine,  
quod propter te non amat, inquit S. Au-  
gustinus, non te amat ut debet. Christus  
Dominus quidè eò usque se demittere dig-  
natur, ut amicus noster esse velit, sed unicus  
esse cupit; alium verò præter ipsum habere  
velle, est inimicum ipsius esse velle ; ut-  
rum desiderare mavis, Christum tibi ami-  
cum, an inimicum ? si mundus amicus tuus  
est, Christus inimicus tuus erit.

*Scrutare non nihil cor tuum ; ut id examines,  
an divisum non sit ? & statue, quocunque de-  
num pretio, quidquid partiri illud potest, inde  
extirpare.*

Vir duplex animo inconstans est in om-  
nibus vijs suis. *Epist. Iac. c. 1. 8.*

Non vult Christus communionem ; sed  
solus vult possidere, quod emit ; tanti emit,  
ut solus possideat, tu consortem ei facis dia-  
bolum. *Aug.*

B

DIES

Aprilis.



DIES VI.

De Morte.

I.

*sepulchra  
eorum do-  
mus eorum  
in aeternum.  
Psal. 48. 12.*

**M**ors, inquit Job, est universalis exspoliatio; est quædam ab omnibus Creaturis, divitijs, voluptatibus, honoribus, dignitatibus, officijs, cognatis, & amicis separatio. Omnia, & proprium quoque corpus deserenda sunt. Ditissimus quisque, & felicissimus hujus Mundi in hoc articulo æqualem se pauperrimo omnium cognosceret. Tumulus, inquit Propheta, palatium ipsius, vermes indumentum, & tota ipsius supellex erunt. Odoramenta, queis corpus ipsius conditur, impedire non possunt, quò minùs cum omnibus alijs in pulveres reducatur, etsi hanc in pulveres conversionem ad aliquot momenta retardent: En, quò colliment omnes humanæ pompæ.

II. Id, quod peccatori in vivis existenti peperit voluptatem, in morte pariet tormentum, cujus causa ipsius peccatum est. Creaturæ, in quibus omnem spem suam collocarât, subitariæ instar ruinæ eum obruent. Is in horrenda hac vacuitate

ita

ira erit animo comparatus, uti foret homo, Aprilis.  
qui in immensam abyssum demergi se videret, quin aliquid inveniret, è quo se sustineret, lapsùmque inhiberet. Quis horror? quæ consternatio? derepente, & momento citiùs ei eripientur omnia bona, voluptates, & omnia, in quæis felicitatem suam collocarât, quæque Deo suo anteposuerat. Quàm crudelis separatio! quàm inaudita violentia! sed, Eheu! videbit, se, cum hæc bona tam brevia, tam vana, & levia deserit, in mala infinita, in mala æterna præcipitari. O Mors, quàm amara est memoria tua homini, qui felicitatem suam in bonis terræ collocavit!

III. Verùm, demus voluptates hæc sceleratas non esse, quid necesse, tantopere illis affici, cum hæc affectio acerbiorẽ reddat ab ijs avulsionem? demus, hæc bona esse legitimè acquisita, quid necesse est ad eò sollicitè ea congerere? in dies ea augere velle, an non idem est, ac multiplicare vincula, ut dein ijs privari molestius nobis accidat? Bona sua cumulare, est impedimenta sibi cumulare: si quis longius iter suscipere cogitat, cuncta minùs necessaria abijcit. éstne longius iter eo, quod è vita ad mortem, è tempore ad æter-


Aprilis.

nitatem suscipimus? quid ergo necesse est, tot rebus inutilibus nos implicare? absque magno dolore non deseritur, quod cum amore possiderur. Spoliamus proinde nos aliquo modo bonis nostris per voluntariam quandam abdicationem in hac vita, ut mors amplius non inveniatur, quod auferat. Evitemus ejus rigores, eandem præveniendò. Felix illa anima, quæ dicere cum Apostolo potest: *Quotidie morior.* Felix anima, quam mors sibimetipsi, cunctisque Creaturis mortuam invenit! mors ei mors non est, sed vera vita. vae illi animæ, quam mors totam adhuc viventem occupat.


*Inquire in te ipsum, quidnam potissimum difficilem tibi mortem reddat; & ubi id cognoveris, seridè stude, ab eo te eximere.*

Siccine separat amara Mors? 1. Reg. 6. 15. 32.

Sola virtus Comes est defunctorum.  
S. Ambr. in Lucam.



DIES

 Aprilis;

## DIES VII.

## De iudicio Universalis.

*Mali de culpa convincuntur.*

## I.

**D**ominus in iudicio peccatores convincet, dum eos ad Tribunal propriæ ipsorum Conscientiæ vocabit. *Arguam te, inquit, & statuam contra faciem tuam. po-* *Psal. 49. 21.*  
nam tibi ob oculos omnes iniquitates tuas. Deus tam dilucidè peccatorem coarguet, ut delicta sua ignorare non possit. Ad hoc nec quæstione, nec tormentis opus erit. Unicus radius, ut ait Propheta, qui è facie iudicis in sceleratam hominis mentem conjicietur, omnes ex ea tenebras dispellet, cunctaque ejus crimina tam evidenter in lucem proferet, ut fieri non possit, quin reus ea clarè cognoscat. Hic aspectus ei terribilior erit, quàm aspectus dæmonum, quàm aspectus inferni. Heu! flagitiosæ istæ voluptates modò tam amœnæ ipsi videntur. Ah! quantopere tunc mentem suam mutabit, quàmque horribiles ipsi apparebunt! incassum ab ijs oculos avertet; ubique enim eæ se ipsi obtrudent: in

Aprilis.

vita gaudium ipsi peperere, in æternitate tormentum afferent.

*Instauras  
testes tuos  
contra me:  
Job 10. 17.  
clamabit la-  
pis de parie-  
te Habac. 1.  
v. 10.*

II. Secundò. Deus peccatorem convincet, ei tam distinctè monstrando omnia peccatorum, quæ admisit, adjuncta, ut ea excusandi non sit inventurus medium. Deus ipsi monstrabit, quodnam eorum fuerit initium, quæ causa ad illa perpetranda ipsum incitavit, quàm immoderatum, & exorbitans fuerit. Producet ipsi scelerum suorum complices, qui contra ipsum testentur; omnes Creaturas, quæ scelerum fuere instrumenta, veluti testes, quod nec recusare, nec eis respondere poterit. Parietes ipsi, inquit S. Job, qui scelera ipsius, hominum eripiunt conspectui, ipsum accusaturi insurgent. Denique infelix peccator, dum in persona judicis sui personam Servatoris sui cognoscet, coactum se videbit, voluntate quantumvis repugnante, fateri, nihil excusationis afferri posse ab homine, qui Deum pro se mortuum offendit, Servatorémque tam Misericordem adigit, ut simul adversarium ejus agat, & judicem.

III. Tertiò. Deus peccatorem scelerum suorum tam potenter convincet, eoque compellet angustiarum, ut afferre nihil possit quo peccatorum gravitatem immin-

minuat. Tunc non amplius peccata sua Aprilis;  
intuebitur fallaci lumine effræuatorum a-  
nimi sui motuum, sed lumine ipsiusmet  
Dei, qui id ei impertiet. Eandem, quam  
Deus, de illis sententiam feret, eorúmque  
malitiam probè agnosceret. Sed cognitio  
hæc ipsum opprimeret, quia meliorem non  
reddet. Deus, inquit S. Bernardus, sce-  
leratorum pæna est, quia lux est, eisque  
rotam criminum suorum enormitatem ob  
oculos ponit, & efficit, ut se ipsos videant.  
Potèstne majus esse supplicium homini tot  
vitijs fædato, quàm seipsum intueri? In-  
spectio alicujus speculi pæna est, homini  
deformi juxtà ac arroganti. Ad eum  
puniendum aptior pæna non est, quàm si  
ipse sibimet ostendatur. Quàm horren-  
dum spectaculum! si nunc te considerares,  
tibi ipse displiceres, & doleres, eaque  
re Deo placeres. Si tunc demum te con-  
sideraveris, Deo, tibi que displicebis, sed  
absque fructu, idcirco, quòd agere pœni-  
tentiam amplius non possis.

*Propone tibi, frequenter considerare judicij  
istius rigorem peccata tua agnoscendo, te ipsum  
accusando, & conando absolutionem ab ijs me-  
reri propria tui ipsius condemnatione.*

Ponam contra te omnes abominaciones  
tuas. Ezech. 7. 3.

B 4

Qui

Aprilis.

Qui arguetur à Deo, arguetur à semet-  
ipso. Bern. de Conf.

## DIES VIII.

## De cura salutis.

*Salus nostra magnum est negotium.*

## I.

**N**egotium salutis grande est negotium ;  
quia unicam hoc effectus habet maxi-  
mi profus momenti ; cum se ad infini-  
tatem usque extendant, & in æternitatem  
desinant ; cum hinc agatur de re non mino-  
ris ponderis , quàm sit animæ salutem vel  
consequi, vel ad sempiternas inferorum  
pænas damari ; hoc est amittere vel ac-  
quirere felicitatem æternam, & infinitam,  
evitare, vel incurrere miseriam æternam, &  
infinitam. Hoc vocatur negotium gran-  
de. Præcipua Principum Consilia, famo-  
sissima heroum facinora salutis negotio  
comparata, ut sanum de re feramus judi-  
cium, puræ putæ nugæ sunt, quibus præoc-  
cupatio, & consuetudo, negotiorum, &  
grandium negotiorum nomen dedere.  
Grande nihil, præter id, quod æternum  
est, præter id, quod infinitum est. Cæ-  
tera

æra omnia limitibus suis circumscripta , Aprilis.  
& propterea nihilo minora sunt, si cum  
æternitate conferantur.

II. Eheu! Domine, si cognovissem, quòd salutem meam negligendo, me periculo essem expositurus, animam meam perdendi, bona æterna, bona immensa perdendi, te ipsum, mi Deus, perdendi, neque perdendo, omnia perdendi, fuissémne adeò cæcus, ut in tanta negligentia vitam meam transigerem? Deum amittere quanta infelicitas! eum amittere, in omnem æternitatem nunquam recuperandum, quanta desperandi causa! eum turpis, & momentaneæ voluptatis, exigui commodi gratiâ amittere, quanta stultitia! at post hanc jacturam nullo tangi dolore, quanta stupiditas! Væ mihi, si hujus jacturæ gravitatem non agnovero nisi tunc, ubi eam sensero; nisi tunc, cum eam facienda nulla amplius suppetet ratio! nisi tunc, cum ea me liberare non amplius poterò!

III. Dum verò animam perdimus, non modò bona æterna, bona immensa perdimus, sed insuper in mala sempiterna, in mala immensa incidimus. Plerique homines, carnis, sensuumque mancipia, tam exiguo tenentur bonorum alterius vitæ desiderio, licet ea æterna sint, quia neque

Aprilis.

præsentia sunt, nec sub sensum cadunt, ut illis non inviti se abdicarent, dummodò brutis gaudere voluptatibus possent; sed pessimum est, quòd, dum bona hæc æterna perdunt, mala æterna infinita incurrant. Oportet, vel æternùm felicem, vel æternùm infelicem esse; medium enim teneri non potest: quàm horrenda oppositio inter duo, quorum alterutrum eligendum! inter hæc tamen homo deliberet? inter duas hæc æternitates assiduè incedimus! Ad unam promerendam magnis opus est conatibus, & eos non adhibemus, ad alteram incurrendam non opus est, nisi unico fallente passu, & non trepidamus! non vigilamus! quò fides nostra devenit? ubi ratio nostra est? ubi charitas, quam nobismetipsis debemus? si vel ethnicos, vel insanos, vel nobismetipsis inimicos nos esse crederemus, num secus ageremus?

*Confundere ob cæcitatem tuam, qua hæcenus laborasti, dum tanto amore rerum nihili flagraris, grandi tuo negotio propriæ videlicet salutis neglecto.*

Solicita es, & turbaris erga plurima: porro unum est necessarium. *LUC. 10. 41.*

Majorum nugæ negotia vocantur. *Aug.*

DIES

DIES IX.

De suavitate pœnitentiæ.

I.

**E**T si pœnitentia virtus esse videatur aspera, quæ non nisi sanguinem, & lacrymas spiret, quæ non nisi de tentationibus, & pugnis loquatur; nilominus non semper adeò aspera est, uti apparet; si severitates suas habet, suavitatibus tamen suis non caret; si adjunctos sibi dolores habet, consolationes eam non deficiunt doloribus majores. ejus lacrymæ non semper amaræ sunt; & peccator aliquoties plus deliciarum, in peccatis suis deflendis experitur, quàm in ijs committendis invenerat. Quemadmodum amor, quo homo pœnitens in Deum fertur, sanctum ei sui ipsius odium inspirat, quòd Deum omni amore dignum offendere sit ausus; sic non minorem in se affligendo, puniendoque oblectationem sentit, quàm is, qui de inimico, quem vehementer odit, vindictam sumit. Inficias non iverim, multùm ei certandum; sed certa victoriæ spes eum animat; & si bellum sibimetipsi inferre cogatur; bellum tamen salubre est, quia felici pace terminatur.

II. Si

Aprilis.

Ierem. 2. 19.

II. Si pœnitenti molestum, & amarum est, ut Ieremias ait, *dereliquisse se Dominum Deum suum*, eumque per peccatum amisisse; dulce tamen ipsi accidit eum quærere, cum spe eum per pœnitentiam recuperandi. Si pœnitenti durum est, quòd Deum peccatis suis ad iracundiam provocaverit, seque hac ratione omnibus malis, quæ ipsius iram consequuntur, exposuerit; suave tamen ei est, se Dominum suis lacrymis mitigasse, sibi que polliceri posse, eum sibi veniam concessurum, quam cordi contrito, & humiliato nunquam negat. Si peccatori molestum erat, pravis animi motibus assiduè agitari, consideratione scelerum suorum terrore, conscientia angustibus vexato, suave tamen accidit pœnitentiam agenti, dum considerat, peccata sua lacrymis esse deleta, animique anxietates à dolore, & pœnitentia esse sedatas, pacemque tandem perturbationi successisse in corde suo excitatæ ab immoderatis animi affectibus, quorum ei Deus jam victoriam concedit.

III. At si omnibus hisce suavitatibus, quas peccator in pœnitentia experitur, quæque ejus asperitates haud mediocriter mitigant, Deus insuper addat, uti non raro assolet, purissimas suas consolationes;

fi

si ei volupe sit cordi de peccatis dolenti, Aprilis, ad moderandam poenitentiae amaritudinem, cum gratia sua, spiritus sancti unctionem infundere; si ei delibandum praebeat manna illud absconditum, quod ijs pollicetur, qui tentationi resistunt, & hostes suos generose impugnant; tunc omnes poenitentiae severitates evanescent, adeo, ut peccator huiusmodi in summis etiam austeritatibus delicias inveniat, omnique delectatione ex amore erga Deum se privare, jucundum esse ducat: si quem tamen dolorem sentit, est istalis, quali rangebatur S. Theresia, cum adverteret, Deum peccatorum suorum, & ingrati animi oblitum nonnisi dulcedines, & solatia sibi submittere loco paenarum aeternarum, quas probe merita fuisse sibi videbatur. Si poenitentiae suavitates degustasses, an eam tantopere fastidires? an eam etiamnum ad tantum temporis intervallum differre posses?

*Vincenti dabo manna absconditum. Apoc. c. 2. v. 17.*

*Conare vanos timores excutere, quos poenitentia tibi inculcit, & lubens te austeritatibus eidem annexis subijce, spe fructuum, & dulcedinum, quae illam sequuntur.*

Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuae laetificaverunt animam meam. *Psal. 93. 19.*

Est

Aprilis,

Est profectò labor lætus, per quem securitas invenitur. *Cypr.*

## DIES X.

## De immoderato divitiarum amore.

I.

**D**ivitem esse, peccatum non est; sed divitijs nimium addictum esse. Christus, qui damnare viderur divites, non propterea eos damnat, quòd divites, sed, quòd plerumque avari sint. Sacrae litterae non bonorum possessionem, sed cupiditatem improbant; quæ facit, ut quis earum vel nimium tenax sit, vel eas nimis sollicitè cumulare velit; quod, ut S. Paulus ait, *radix omnium malorum est.* Etsi enim eorum causa semper non sit, occasio tamen est, eaque progignit, & nutrit. Ad quæ scelera perpetranda cupiditas opes congerendi non impellit? & quæ peccata committendi opes jam acquisitæ non præbent ansam? Dives, quidquid vult, potest; & quid velle dives injustus, & impius non potest? *Qui volunt divites fieri, inquit Apostolus, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, nec tentationes sunt, in quas cadere*

1. Tim 6.  
7. 9.

dere non possint. *Qui festinat ditari, in-* Aprilis  
*quit sapiens, non erit innocens..*

*Prov. 28. 20.*

II. Qui bonis terrenis nimis afficitur, brevi erga Deum parum afficietur. In oblivionem salutis suae facile venit, ubi fortunae bonis nimis avidè inhiatur; nec desiderio, nec spe bonorum aeternorum ferè tangitur, qui tam ardentè bonis caducis congerendis occupatur: & quanto- pere metuendum est, ne Christianus esse cesset, qui immoderato ditescendi flagrat desiderio! Plures, inquit Apostolus, quia hac cupiditate opes suas cumulandi abripi se passi sunt, radicem omnium bonorum spiritualium, nempe fidem perdiderunt, idololatrae effecti, cum prius avari extitissent. Plerique divitum dicere possunt illud hominis cujusdam in sacris litteris: *dives effectus sum; inveni idolum mihi*, quasi diceret: è pecunijs meis mihi idolum conflavi. Hoc est scopus affectus, & adorationis meae; in hoc omnem meam colloca- vi fiduciam. Auderesne hoc palam profiteri? at verò si bonis terrae nimium addi- ctus es, an non cor tuum id ipsum dicit? an non hoc tua vivendi ratio confirmat?

*Quam qui- dam appe- tenteserra- verunt a fi- de 1 Tim. 6.*  
10.

*Ose. 12. 8.*

*Quod est ido- lorum servi- tus. Eph. 5.*  
15.

III. Aliae animi motiones cum aetate franguntur; sed ista roboratur: aliae pla- cantur rerum, quas desideraverant, posses- sione

Aprilis.

sione; ista verò irritatur: ignis enim est devorans, quò plus materiæ ei adijcitur, eò magis inflammatur. Avarus similis est homini hydropico; aqua, quæ ipsi propinatur, tantùm abest, ut sitim ipsius extinguat, ut potiùs irriter; quò plus bibit, eò plus bibere desiderat. Aliæ animi affectiones habent sphæram, ut vocant, suæ activitatis; & eorum pauçæ ad omnis generis scelera se extendunt; avaritia verò omnia complectitur: cùm quis avarus est, etiam injustus est, violentus, durus, suspiciosus; fraudulentus, fidei, legis, charitatis, religionis expers est; ignorat, vel obliviscitur legis naturæ, gratiarum, & pietatis, nec cognatos, nec amicos, nec ipsum Deum ampliùs agnoscit. Proprium duntaxat commodum loco Dei habet, & adorat: huic omnia, honestatem, conscientiam, salutem consecrat. Atque hæc auri cupiditas, quæ, nos excæcando, tantarum confusionum causa est, eas nobis occultat. An non harum pravitarum particeps es? an non cæcitas tua tibi obstaculo est, quò minùs eas cognoscas, & proin eò te adigit, ut malis hisce remedium afferre non possis? Cuncta tibi timenda sunt, si bonis caducis nimis addictus es; nec avaritiæ tuæ effectus times.

In

Inquire in teipsum, ut cognoscas, an omnia Aprilis  
bona tua justè acquiseris, vel an ijs non immodicè afficiaris; opemque à Deo pete, animum tuum ab ijs avellendi.

Radix enim omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes erraverunt à fide. 1. Tim. 6. v. 10.

Qui pecuniam appetit, fidem perdit; qui aurum redigit, gratiam prodigit. Ambr. serm. 59.

---

## DIES XI.

### Remedia iræ.

#### I.

**C**urari malum non potest, cujus non cognoscitur causa, nec iracundiæ afferri remedium, si ejus origo ignoratur. in quibusdam oritur è biliola corporis habitudine; in alijs ex animi imbecillitate. Superbia, quæ nos vel minimi contemptus impatientes reddit, non rarò iracundiæ nostræ causa est, & potissimum nostri ipsorum amore nititur, qui nobis persuadet, omnia nobis deberi; unde tantopere delicati in puncto honoris evadimus, ut hoc rangi vix possit, quin excandescamus. Amor immoderatus, quo in certas quasdam

dam

*Aprilis.*

dam res ferimur, vel nimium desiderium, quo eis inhiamus, facit, ut sine animi commotione tolerare non possimus, cum quis vel in istorum bonorum possessione nobis litem movet, vel cupiditati nostræ ea consequendi obicem ponit. Ad mendandum huic malo radicem aggredi, & originem extirpare oportet, adhibitis remedijs, quæ causis, unde nascuntur, opposita sunt.

II. Si iracundia provenit è constitutione corporis paulò vivaciore, seriò studere oportet naturæ, & animi sui motibus suppressendis, & meminisse, quòd, agere naturæ impulsu, non tantùm non sit agere, ut Christianum, sed nec, ut hominem decet; quòd ratio, & gratia, non verò animi impetus motuum nostrorum regula esse debeant; quòd, sicut Christus ipse dixit, sancta illa violentia summè nobis sit necessaria; quòd omnis pietas, quæ huc non collimat, deceptio sit; quòd Sacramentorum frequentatio, si hunc in nobis effectum non procreat, abusus sit. Horum affectuum victoriam frequenter à Deo petere, potissimàmque orationum, pietatis, & ultrò susceptarum corporis afflictationum partem in hunc finem dirigere debemus; axiomata, quæ Christus de mansue-

tudine nobis dedit, frequenter meditari; sed peculiariter admiranda exempla, quibus in hac virtute nobis praeluxit. Sæpè ei dicito: Domine, qui dixisti: *discite à me, quia mitis sum*, fac, ut divinam hanc doctrinam probè comprehendam; & vires simul eam exercendi suppedita.

III. Si iracundia oriatur ex animi debilitate, difficilius adhuc medelam admittit: gratia nihilominus supra fragilitatem nostram nos evehere, & superbia ipsa aliunde nobis tam perniciofa hac in re auxilio nobis esse potest: abjecto esse animo videri nolumus; idcirco ipsa gloriæ cupido nos aliquoties moderatos reddit. Si verò iracundia provenit è nostri ipsorum amore, & superbia, uti sæpissimè accidit, remedium affertur malo, si isto amore, & superbia extirpatis, Christianæ humilitati seriò studeamus; homo enim humilis nunquam credit, injuriam sibi fieri; imò è contrario sibi persuadet, justè secum agi: si contemnatur, aut asperius tractetur; non conqueritur, nec commoveretur. Imò Christus humilitati mansuetudinem jungit. Moderemur cupiditatem nostram, coërceamus desideria nostra, tum mites erimus, & patientes. Lubenti animo, & absque commotione toleratur boni cujusdam jactura,

Aprilis.

ubi id sine magno affectu possidetur, vel minùs ardentè concupiscitur: sed præcipuè nunquam nobis ipsis condonemus vel minimam excandescèntiam. Ira nostra fastidiosum effectum nunquam pariet, si eam nunquam relinquimus impunitam.

*Statue, si iracundiæ obnoxius es, omnibus hisce remedijs fideliter uti ad tollendum malum, cujus fructus tam funesti sunt.*

Aufer iram à corde tuo. *Eccli. 11. 10.*

Salubrius est, etiam iræ justè pulsanti non aperire penetrabile cordis, quàm admittere non faciliè recessuram. *Aug.*

## DIES XII.

**Peccatum libidinis cæcitatè animi causa est.**

## I.

**C**æcitas animi est effectus usitatissimus, & funestissimus peccati libidinis. Est vulnus illud infestum, quod Deus luxuriosis infligit; dum immoderatas eorum cupiditates punit ipsismet eorum cupiditatibus, & cæcitate, quam sceleratis eorum voluptatibus inducit. Ipsi se libidinibus, teste Apostolo, immergunt, & Deus eos tradit in desideria cordis eorum, & erroribus cæ-

eae mentis, qui eos ad actus homine indi- Aprilis.  
 gnos induxere. Ut primùm quis hanc a-  
 nimi commotionem dominari sibi patitur,  
 ratione destitui incipit; & licet quidam  
 ejus radij in eo etiamnum gliscant, mox  
 tamen eos extinguere nititur. isti, in-  
 quit, turbant cupiditatem nostram, quæ ve-  
 lut domina cor jam possederat; importuni,  
 & molesti sunt, ac proin penitus suffocan-  
 di. Cùm primùm libidinosi illi senes de-  
 restandum illud scelus adversus castam Su-  
 sannam concepere, ait scriptura, *eos ever-*  
*tisse sensum suum.* Castitas hominem ipsis  
 æquat Angelis; libido verò eum ad bestia-  
 rum conditionem abijcit. Absque ratio-  
 ne vivit, qui sine pudore vivit.

II. Vitium libidinis hominem non tan-  
 tùm excæcat lumine rationis, sed etiam  
 gratia eum privando. *In malevolam (im-*  
*puram) animam, inquit sapiens, non intro-*  
*ibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito*  
*peccatis.* Deus omne quidem peccatum *Sap. 1. v. 4.*  
 abominatur; cùm puri ipsius oculi illud  
 aspicere non possint; peculiarem verò an-  
 tipathiam fovet adversus luxuriæ pecca-  
 tum: lumina ipsius pura sunt, nec ea im-  
 pertit animabus impuris. Luci citiùs  
 cum tenebris conveniret, quàm gratiæ pu-  
 ritati cum impuritate cordis. Et licet

*Aprilis.*

Deus luminis sui radios animæ impuræ concederet, an aliquid effecturos speras? *Carnalis, homo, Apostolo teste, non sapit ea, quæ sunt spiritus: cum enim huic luto immerfus sit, vix capax est cogitationum, quæ ipsum ad seriam vitæ emendationem adigere possint. Imò S. Augustinus affirmat, nec rarius, nec difficilius quidquam esse emendatione hominis libidinosi. Tanto viro, & propria experientia docto fides hac in re neganda non est. Fuitne vir sanctior, magisque divino lumine collustratus, quàm David? Is in adulterium lapsus, ab eo tantopere excæcatur, ut plures menses post peccatum admissum in se non rediret, nec de pœnitentia agenda cogitaret. Idcirco necessarium erat, ei prophetam mittere, qui ei mentis oculos aperiret, eumque ad peccatum propria pœnitentia eluendum hortaretur.*

III. Peccatum libidinis privat insuper hominem fidei lumine, ubi vitium istud invaluit, ad effrænatam usque vitæ licentiam, quin & ad fidei articulos negandos abducit hominem: hoc amplius peccatum non est, inquit, sed imbecillitas, imò necessitas. Sui ipsius afflictatio, & pœnitentia Christiana, phantasma ipsi videtur; & observatio voti castitatis, inquit Lutherus,

therus, jugum tyrannicum est; temeritas est **Aprilis.**  
eo se obstringere, impossibile id servare,  
Tyrannis, ad id aliquem adigere. Qua-  
lis reformator! is hæresiarcha nunquam e-  
vassisset, si libidini deditus non fuisset. à  
veritatibus præcticis ad eas transirur, quæ  
speculativæ appellantur. Ignis inferni ho-  
mini luxurioso molestus est, hinc ei ne-  
cessarium est de eo ambigere, & postmo-  
dum eum penitus negare. Deus, qui u-  
nius momenti voluptatem pæna æterna  
punit, homini luxurioso Deus crudelis,  
& injustus videtur: idcirco libidinosus  
Deum mutare vellet; cùm verò eum mu-  
tare non possit, pronum est, ut eum penitus  
neget. Nemo, inquit S. Augustinus,  
Deum unum esse negat, nisi is, qui ali-  
quod commodum inde habet, si non exi-  
stat. Pauci inveniuntur Athei, si quis lo-  
qui sincerè velit, qui libidinosi non sint.  
Corruptio corporis inficit cor, & cordis  
corruptio inficit animum. Sic incontinen-  
tia Salomonem idololatram effecit; neque  
enim is idola lapidea aliam ob causam ad-  
orabat, quàm quia idola carnea adoravit.  
An non imbecillitas fidei tuæ è cordis tui  
provenit impuritate?

*Si peccati hujus es particeps, arripe confestim  
efficacissima media, eo te liberandi: si verò ejus*

C 4

etiam-

*Aprilis,**etiamnum immunis es, omnibus modis ab eo tibi præcave.*Supercecidit ignis, & non viderunt solem. *Psal. 57. 9.*Exhalabantur nebulæ de nebulosa concupiscentia carnis, & offuscabant cor meum. *Aug. l. 2. Confess. 2.*

## DIES XIII.

## De natura Teporis.

## I.

Quid est tepor in aqua? est permistio frigidi, & calidi. Quid est tepor animæ, à quo se tantopere abhorrere testatur Deus? est permistio boni, & mali. Anima tepida non quidem velle peccata lethifera admittere. En calorem! sed omnis generis leviora facile admittit; En frigus! Non velle graviter irasci; En calorem! ostendit tamen se verbis amaram, morosam, & in agendi ratione impatientem: En frigus! Non admitteret gravem aliquam detractionem: En calorem! committit nihilominus tales, quæ, licet adeo graves non sint, non minus tamen sunt acerbæ: En frigus! libidinem averfatur: En calorem! sed vitam mollem, & otiosam  
val.

valde diligit: En frigus! non vellet habere bona aliena: En calorem! suis tamen immoderatè addicta est: En frigus!

II. Anima tepida facit opera bona. En calorem! sed cum languore, & irrentione minùs pura; En frigus! accedit ad sanctissima Sacramenta, frequenter peccata sua confitetur, nec rarò SSmam Eucharistiam sumit. En calorem! verùm si ad SSma Sacramenta accedit, contingit hoc cum exigua præparatione. si sæpè confitetur, fit hoc absque vitæ emendatione. Et licèt ipsius Communiones sint frequentes, non tamen eò ferventiores sunt: En frigus! prolixas instituit preces; En calorem! sed sine attentione, sine fervore; En frigus! sic ipsa facit bona; sed ea bene non facit; quia ea juxta proprium facit genium, & absque spiritu interiore; absque regula. Bona hunc in modum facere; est eorum nihil facere.

III. Denique anima tepida est patiens, dummodò non habeat, quod patiarur. Est mitis, ea tamen lege, ut ei nemo adverteatur. Est humilis, modò honoretur. Est officiosa, & benefica; sed erga illos, qui ei blandiuntur, vel certè nihil ei molestiarum creant. Vult sancta esse; sed non habere virtutes, quæ hominem sanctum reddunt:

Aprilis.

vel libenter illas virtutes habere vellet, modò adhibere non deberet media ijs acquirendis necessaria; modò immoderatas animi commotiones reprimere non deberet; veleas vincere quidem cuperet, modò illas impugnare necessarium non foret, vellet denique vitam æternam consequi, modò ea nihilò constaret; cœloque potiri, sed alia ratione, quàm vim sibi inferendo. Hæc permistio boni, & mali, frigidi, & calidi teporem constituit. An non deprehendis periculosam hanc permistionem in tua agendi ratione? modicum caloris, quod habere tibi videris, timorem tibi eximit; cùm tamen hoc ipsum merum tibi deberet incutere; hoc enim teporis tua causa est, funestum illum vomitum parit, quem Deus animæ tepidæ comminatur.

*Solicite in totam vitam tuam inquire, ut non perpetua boni, malique, frigidi, & calidi confusio in ea inveniatur. & statue quantocyus moderari.*

Qui non est mecum, contra me est  
Matt. 12. 30.

Memento, quia regnum Cœlorum non tepidi, non desides, sed violenti diripiunt  
Aug.

DIES

## DIES XIV.

## De peccato veniali.

## I.

**Q**Uod ad peccata venialia committenda adeò proni simus, oritur è modico timore, quem habemus, Deo displicendi; & modicus hic Deo displicendi timor provenit è nostra erga Deum indifferentia, qua ei nec fideliter servire, nec eundem offendere magnopere cupimus; unde fit, ut Deus vicissim erga nos indifferens sit, & protectione peculiari subtracta nos nobis ipsis relinquat. Verùm, quàm indifferentia nostra erga Deum iniqua, Dei verò erga nos justa est! si enim Deus singulari sua providentia, & protectione nos destituit, credimúsne, eum vehementes tentationes, & periculosas occasiones à nobis depulsurum, cum tamen sanctissimi quique non rarò securitatem, sanctitatémque suam huic protectioni in acceptis referre debeant? Cùm imbecilles simus, si nobis ipsis in hisce occasionibus, & tentationibus relinquamur, quid aliud præter horrendos lapsus nobis expectandum? Eheu! Domine, si gratiam protectionis tuæ sanctissimis viris

ne-

Aprilis.

44 *Considerationes Christianæ.*

negas, quantorum sæpè flagitiorum! se facient reos? quid igitur de me fiet, qui imbecillitas ipsa sum?


II Si Deus singularem nostri curam non gerit, quò deveniemus? tentationes sunt violentæ, quarum fomitem nobiscum ipsi circumferimus, neque ulla protectio nos reddere immunes ab ijs potest; neque nos eas evitare magis, quàm nos ipsos valeamus. Ea propter sine magnis, & potentibus gratijs actum de nobis erit. Hæ gratiæ proficiscuntur è peculiari benignitate, & tenero amoris affectu: licetne similes à Deo sperare, si is nostri curam abijcit? an verò nostri curam geret, si nos ipsius rationem non habemus? éstne autem Dei habere rationem, si parùm nos angit, quòd ei displiceamus, tam facillè committendo peccata leviora? hujuscemodi minora delicta causa sunt, ut Deus missos nos faciat: unde postmodam nascitur subtractio gratiæ efficacis in urgente necessitate; arque huic gratiæ subtractioni succedit gravior lapsus, qui non rarò ad æternam damnationem deducit. Quàm funesta catena! arque hujus catenæ primus annulus est noxa levior. Et hanc non formidas?

III. Si Deo curæ non sumus, quàm miserè, & infelices erimus? Deus singulares  
suas

Suas gratias nobis non impertiet, quas ani- Aprilis.  
mabus fidelibus concedit : cujusmodi  
sunt viva fides, fervor in cultu divino mul-  
tum afficiens, qui omnia reddit facilia ;  
tener in Christum amor, magna orandi,  
seque rursus colligendi facilitas, suavis,  
& immutabilis pax, amabilis de Deo gu-  
stus, luminum, & consolationum divina-  
rum abundantia, securitas satis certa,  
quod Deum amemus, eique grati simus.  
Quanta felicitas, hæc omnia possidere bo-  
na ! quanta miseria, iisdem carere ! quan-  
ta infamia ijs renuntiare, ut genio nostro  
obsequamur, nostræque cupiditati servia-  
mus, vel humanam auram captemus ! Tu  
id ipsum facis, quoties peccatum quantum-  
vis leve cogitatò admittis.


Cum sancto sanctus eris, & cum per-  
verso pervertèris. *Psal 136, 27.*

Nulla est sanctitas, si manum subtrahat ;  
nulla juvat fortitudo, si conservare desi-  
nat. *Imit. Christi l. 3. c. 4.*



DIES

Aprilis.



## DIES XV.

## De Humilitate, seu Necessitate gratiæ.

## I.

**N**Ecessitas gratiæ ad præstandum quodcunque bonum, & continua divinæ opipis indigentia magnum est Christianæ humilitatis incitamentum. Deus Creator noster est non minùs quod ad Ordinem gratiæ, quàm quod attinet ad ordinem naturæ. Per hanc è nihilo nos eripuit naturæ, dum nos creavit; per illam è nihilo gratiæ, peccato videlicet, dum nos in justorum numerum coopravit. Itaque Deo attribui non potest Dominium nimis absolutum, neque Creaturæ subiectio nimia. Quemadmodum nihilum in utroque statu origo nostra est, sic & centrum est; idcirco quod è quotidie tendamus supra nihilum naturæ, & gratiæ, ut ita dicam, suspensi; in quod singulis momentis relaberemur, nisi omnipotenti Numinis manu assidue sustentaremur. Nec subsistere, nec agere quidquam vel ad momentum in statu naturæ absque continuo Dei auxilio valemus. Eodem modo nec  
sub-

substiteret, nec agere quidquam possumus Aprilis,  
in statu supernaturali, sine continuo gra-  
tiae divinae subsidio.

II. Noveris in homine opis divinae in-  
digentiam ad bonum quodcumque demum  
praestandum adeo absolutam, ut nec in po-  
testate hominis sit ei se subtrahere, nec in  
potestate Dei eadem, ipsum eximere, atque  
hanc indigentiam tam esse universalem,  
ut sese extendat ad omnes ipsius actiones, ad  
omnes cordis, & animi motus, adeo conti-  
nuam, ut complectatur omnia vitae ipsius  
momenta. Hac ratione agnosces, quanto pe-  
re Creaturae opus sit gratia divina ad actus  
supernaturales. ut quis divina ope indigeat,  
ut omnis boni incapax, & omnis mali capax  
sit, satis est, eum esse Creaturam. Ut quis in  
gravissima labi peccata possit, non opus est  
habere corpus, & immoderatam cupidita-  
tem; satis est, eum esse Creaturam. An-  
geli neque corpus, neque motus animi ha-  
bebant, & tamen quantum opere fuere lapsi?  
Nihil ferè discriminis est, magnum pecca-  
torem inter, & hominem valde sanctum,  
nisi id, quod constituit gratia. Et propte-  
rea sanctissimi quique sunt humillimi, id-  
circo, quod melius veritatem hanc pene-  
trant. Hinc etiam fit, ut ego tam parum  
habeam humilitatis, quia eandem non sa-  
tis comprehendo.

III. Si-

Aprilis

III. *Sine me*, inquit filius Dei, *nihil boni potestis facere.* Qui dicit *nihil*; omnia excludit. Possumus quidem sine illo peccare, & damuari. O funestam potentiam!

*Non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2. Cor. 3.

v. 5.

*Nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in spiritu sancto.*

1. Cor. 1. 2

v. 3.

*Nam quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed ipse spiritus postulat pro nobis.* Rom.

8. 26.

bonam cogitationem vel minimam è nobis ipsis, Apostolo teste, habere non possumus. Quid facilius, quàm sanctissimum Iesu nomen pronuntiare? neque tamen id cum fructu pronuntiare possumus, nisi spiritu sancto adjuvante: nec miseriam, & imbecillitatem nostram agnoscere, nec ab

ea liberationem desiderare, nec eam petere, ut oportet, valemus, nisi spiritus sanctus id facere nos doceat; multò minùs resistere tentationi paulò vehementiori, nec superare animi commotionem paulò

validiorem; multò minùs exercere actus vivæ alicujus fidei, charitatis sinceræ, & ardentis, humilitatis profundæ possumus. he dicam hæc virtutes consequi. *Ubi est igitur, inquit Apostolus superbiæ hominis insultans, gloriatio tua?*

*Frequenter te ipsum interroga cum Apostolo Paulo: quid habes, quod à Deo non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti?*

*Sine me nihil potestis facere.* Io. 15. 5.

*Sive ergo parùm, sive multùm, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.*

*Aug. in Ioan.*

DIE 8

Aprilis

DIES XVI.

De Patientia.

I.

PATIENTIA, inquit S. Iacobus, opus est hominis perfecti, cum ipsum ad omnes virtutes exercendas impellat, eique pretium suum tribuat. Homo patiens nihil experitur, nisi molestias, nihil videt, nisi cruces; sed inter hæc omnia intuetur Deum, & in persecutoris iniquitate, in inimici crudelitate, agnoscit justitiam, & benignitatem Dei, cujus iste persecutor, & inimicus non est nisi instrumentum. Quanta fides! Deus ipse videtur aliquoties ejus oblivisci; is tamen etiam tunc sperat, cum maximam desperandi causam habere videtur. *In spem contra spem.* Quanta fiducia! sed ipsemet Deus illum persequitur, & affligit: nihil refert; nam Deum etiam tunc, cum ei non nisi malum facere videtur; amat, & percutienti manum osculatur. Quanta charitas! quam aliena ab omni proprio commodo agendi ratio! nihil præter rigorem, & austeritatem erga se videt; & ei se submittit, eumque adorat; quanta submissio! ejus mala, ut vi-

Rom. 4. 18.

D

de

Aprilis.

50 *Considerationes Christianæ*

derur, omnem excedunt modum; sed ubi peccatorum suorum, & inferni, quem meritus est, recordatur, ea levia esse censet. Quanta humilitas! offert se ad plura etiam toleranda. Quanta animi generositas?

II. Hi animi sensus hominis in medio maximarum calamitarum patientis quantum Deo conciliant honorem? quantum etiam ipsimet afferunt patienti? Deus bonus est, inquit, ideoque nihil mali inferre mihi potest: id, quod malum mihi videtur; hac ipsa de causa, quod à Deo mihi obveniat, bonum est. Is est infinite sapiens; & idcirco videt, quidquid accidere mihi potest; multoque melius, quam ego, novit, quid mihi conveniat. Est omnipotens, proinde nihil ipsi facilius est, quam hisce me malis eripere, vel ab ijs, quæ mihi imminet, custodire: Est misericors; ideò nihil magis cupit, quam miseris solatium afferre, eorumque miserijs subvenire. Plenus est tenerrima in me charitate; si his malis me non liberet, id eò fit, quod ipse hæc mala consideret, ut verè mihi bona. An non igitur repugnante licet natura, & falsis rationis humanæ luminibus, cogitationes meas ipsius voluntati accomodare debeo? sùntne isti animi tui sensus? ita sentit homo patientis

tiens. Et ita sentire debet verus Christi-  
stianus.

III. Quantopere Dei cum electis suis  
agendi ratio, cum eos ad exercendam eo-  
rum patientiam periclitatur, conspicuam  
reddit ipsius gloriam! quantopere omnia  
ipsius attributa patefacit! hic eos ducendi  
modus, ipsius prodit justitiam: Deus, in-  
quit Apostolus, justos affligit, ut eis an-  
sam præbeat judiciorum suorum rigorem  
experiendi: si enim hac ratione filios suos  
tractat, quid expectandum mancipijs dia-  
boli, supremi Numinis inimicis? in hac a-  
gendi ratione apparet ipsius sanctitas; nam  
si aurum purissimum igne purgandum est,  
quæ tractari ferrum debet? in ea elucet Dei  
sapientia, dum in nihilum redigere vi-  
detur electos, ut eos glorificet; dum eos  
deprimit, ut in sublime tollat, ut eos per  
depressiones ad gloriam, & per calamitates  
ad felicitatem perducatur. Denique se pro-  
dit ipsius potentia, dum è nihili tenebris,  
ad quas justos detrusisse videbatur, mira  
omnino prodigia gratiæ, & eminentissimæ  
sanctitatis profert.

*Si patientia tantam Deo gloriam, & homini  
patientiam meritum affert, quanta gloria Deum,  
quantis meritis teipsum per impatientias tuas  
non privas?*

Aprilis

Patientia autem probationem operatur:  
probatio spem; spes autem non confundit.  
*Rom 5. v. 5.*

Ignis apponitur, palea uritur, aurum  
probatur. *S. Aug.*

## DIES XVII.

## De Amore Dei.

## I.

Quemadmodum bonum necessariò amamus, sic imperare nobis non possumus, quin amemus eos, qui bonum nobis faciunt. Quì igitur fieri potest, ut Deum non amemus, qui tot, tantisque bonis nos cumulat? ea quidem acceptare, fruique, nec tamen ea comprehendere, & numerare yalemus. Necessarium foret, Creaturarum inire numerum; quarum nulla invenitur, quæ nostrâ causâ facta non sit; &, quod consequens est, in nostram non cedat utilitatem, eaque re ad Deum amandum nos obliget. Cælum, & terra; mi Deus, omnesque Creaturæ ipsæ contentæ, teste S. Augustino, indefinenter mihi clamant, quòd te amare teneant. Sed proh dolor! ad omnes has voces surdus sum; necessarium foret, omnia vitæ

nostræ numerare momenta, cuius nec unicum est, quod non plurimis, iisque magnis beneficijs sit insignitum. Necessarium foret, numerare omnia vitæ Iesu Christi momenta, omnes spiritûs, & cordis divini motus, cum nullus eorum nobis consecratus non fuerit. Quantû hoc amoris prodigium! sed vix non majus potentiæ diabolicæ, & meæ malitiæ prodigium est, quod hoc meum cor in medio tot beneficiorum, quæ totidem carbones ad id inflammandum esse deberent, nihilominus maneat glaciatum.

II. Hæc beneficia non minùs ob magnitudinem, quàm multitudinem suam consideratione digna sunt. Metiri 1. ea merentur è dignitate illius, qui ea exhibet; nil enim eorum, quæ à Deo tanto proficiuntur, vile est. 2. è vilitate illius, cui ea obtingunt, qui homo est. Et quid est homo? sceleratum nihil. 3. ex amore, quo ea exhibet, nimirum infinito. 4. ex adjuncta eis agendi ratione omnis cupiditatis immuni: quid enim Deus à nobis expectare potest, præter id, quod ab ipso accepimus? 5. è natura ipsorummet beneficiorum; quorum complura sunt immensa; veluti, cum Pater proprium Filium nobis donavit in Incarnatione, & Filius seipsum

*Aprilis.*

nobis donat in sanctissima Eucharistia. Pater, & Filius nobis donant Spiritum sanctum. 6. è termino, quò ea collimant, qui non est minùs quid, quàm ipsius Dei possessio. Beneficia infinita amorem infinitum mererentur; cùm verò amoris immensi capaces non simus, donemus Deo amorem saltem talem, qui terminis non circumscribatur. Ah! panis frustum, quod cani obijcitur, eum beneficij certissimè reddit memorem. Et beneficia Dei innumera juxtâ, ac immensa amorem nostrum necdum merita sint? grata beneficij recordatio bestiae alicujus olim nobis ingratum nostrum animum exprobrabit, & condemnabit.

III. Quid retribuere tibi possum, mi Domine, pro tot beneficijs, quæ à te accipis? Si afferre tibi possem omnia Mundi bona, quid tibi afferrem, nisi ea, quæ à te mihi concessa sunt, & jam antè fuere tua? si me tibi donarem cum omnibus meis bonis, tantùm abest, ut omnibus, quæ tibi debeo, me expedirem, ut novam potiùs contraherem obligationem, cùm desiderium habere, se totum tibi donandi, idem sit, ac multum à te accipere. Nihil est præter amorem meum, quo tibi satisfacere queam. Verùm, proh dolor! hunc amorem dona-

re

Te tibi non possum sine te, & auxilio gratiæ Aprilis  
ruæ; nec gratum denique animum testari,  
nisi novo accepto beneficio, vel potius  
omnium beneficiorum maximo; quia si-  
ne hoc omnia alia beneficia non solum in-  
utilia mihi, sed & noxia forent, ad nihil  
quippe mihi servitura, quàm, ut ingrati  
animi mei vitium clariùs proderem, meque  
excusatione minùs dignum redderem.  
Lubens me abdicò, Domine, omnibus a-  
lijs bonis, modò illud mihi impertieris:  
id enim ubi impetravero, dives sum satis,  
quia etiam simul te possideo. Si verò te  
possideo, quid deesse mihi potest?

*Confundere, quòd continuò beneficia à Deo  
accipias, eique non nisi eorundem oblivionem  
rependas.*


Da Altissimo secundum datum ejus.  
*Eccli. 35. v. 12.*

Cælum, & terra, & omnia, quæ in eis  
sunt, ecce undique mihi dicunt, ut amem  
te, nec cessant dicere omnibus. *Aug. l. 10.  
Confess.*



DIES

Aprilis.



## DIES XVIII.

## De Omnipotentia Dei.

## I.

*Quia non est  
impossibile a.  
pud Deum  
omne verbū.  
Luc. 1. 17.*

*Rom. 4. 17.*

**D**Eus omnia potest; cū ejus potentia sit infinita, nec alios habeat limites, quā id, quod est impossibile. Imò, quod hominibus impossibile videtur, à Deo fieri potest. Omnia per semetipsum potest, cū potentiam habeat liberam, nec ab ullo pendentem. Fundo non indiget, in quo illam exerceat; nam perfectissimas quasque Creaturas è nihilo eruit. *Vocat ea, quæ non sunt,* inquit Propheta, *tanquam ea, quæ sunt.* Atque ipsum nihilum ejus voci obsequitur. Præterea nullo ei ullius Creaturæ subsidio opus est. Cū solus agere possit, quidquid cum illis agit: nam, quidquid illæ habent, totum ab ipso habent, nec sine ipso quidquam possunt, quæ sine illis omnia potest. Si velit, ut securi agant, id non eò fit, ut ipsum adjuvent, sed ut illas honoret. Ex indulgentia quadam eorum naturæ plerumque se accommodat, aliquoties verò per potentiam suam supra naturam eas elevat: & hoc fit, cū miracula patrat, quæ solus ipse patrare potest.

II. Po-

II. Potentiæ divinæ resistere nihil potest: velle, & agere Deo unum, idemque est. Creaturæ stupidissimæ, omnique sensu, & intellectu destitutæ, intellectu præditæ videntur, ubi de obedientia agitur voci divinæ præstanda: inclinationes suas exuunt, ut ipsius obsequantur voluntati; vel potiùs alias inclinationes non habent, quàm ad ipsius iussa exequenda: Deus *omnia, quæcunque vult, facit, inquit propheta, in Cælo, & in terra.* Id, quod in Principibus appellatur potentia, vera imbecillitas est: quot enim ministris, quot procuratoribus, quot militibus non indigent, ad id, quod animo intendunt, perficiendum? hoc est, quot brachijs opus ipsis non est ad potentiam suam sustentandam, quot auxilijs ad modica sæpè præstanda? Deus verò nullo indiget, nisi seipso ad omnia suscipienda, & perficienda, cum in sua potentia, veluti inexhausta abyssus inveniat, quidquid ei opus est; ut possit, & faciat, sufficit ei velle.

III. Quas conclusiones ex Omnipotentia Dei ducere non possum ad mei instructionem, & solatium? Deus omnia potest; quid mihi non timendum, si eum offendere non verear; cum vindictas æquare potentiæ suæ valeat? Deus omnia po-

Aprilis.

test; quid mihi in maximis formidandum periculis, si Deus me protegit? potestne cadere, qui omnipotenti innititur brachio? Deus omnia potest, quid ab eo mihi non expectandum, si ei serviam; cum alias non habeat mensuras remunerationum, quas mihi pollicetur, quàm suam bonitatem, & potentiam? Deus omnia potest, qui ergo fit, ut eum non amem, cum potentiâ suâ non utatur, nisi ad mihi benefaciendum? Deus omnia potest; cur igitur de venia scelerum meorum, quantumvis gravium impetranda desperem; quandoquidem, Spiritu sancto teste, magnitudinem potentia suæ maximè gravissima peccata remittendo manifestat? *misereris omnium*, inquit sapiens, *quia omnia potes*. Omnipotentia Dei radix est, & mensura Misericordiae ejus: quantumcunque miser sim, possūme de peccatorum meorum venia desperare, dum spem meam in Fundamento tam solido pono?

*Si considerata fragilitate tua, animo cadis; considerata Dei omnipotentia, cui inniteris, confidentiam tuam animet.*

Subest enim tibi, cum volueris, posse. *Sap. 12, 18.*

Propterea dicitur omnipotens, quia quidquid vult, potest. *Aug. de Symbol.*

DIE

☉☉:☉☉☉☉ ☉☉:☉☉☉☉:☉☉☉☉. Aprilis.

DIE SABBATI.

Diem Palmarum præcedente.

*De doloribus internis Christi patientis  
ob imminentes sibi cruciatus.*

I.

**R**abies inimicorum Servatoris, & tor-  
torum ipsius crudelitas satiare non  
poterant desiderium, quo pro nobis pa-  
tiendi flagrabat: necessarium proin erat,  
ut ipsius amor cum illis conspiraret ad af-  
ferendum eius animo dolorem internum,  
qui tantò major esset externo, quo corpus  
cruciabatur, quantò magis amor ipsius  
sævitiem hostium superabat. Eum in fi-  
nem omnes affectus, qui solari eum pote-  
rant, amoris, spei, & gaudij, supprimit;  
omnibus è contrario animi motibus, qui  
eum affligere possunt, dolori, timori, de-  
siderio frænum laxat: commercium, quod  
intercedit parti superiori, & inferiori, Deo,  
& homini, interrumpit, veritus, ne divinæ  
naturæ beatitudo humanæ naturæ mise-  
riam impediât. Verbo; ut pro nobis pa-  
ti possit, continuum quoddam miraculum  
facit. Et nos vellemus, ut hoc miracu-  
lum

lum

Aprilis.

lum in nobis continuaret, quò nos ab obligatione pro ipso patiendi eximeret. Omnem, quam potest, vivacitatem imaginationi suæ tribuit, ad crudelissima quæque in tormentis sibi proponenda, totoque rationis suæ lumine utitur, ut sibi id, quod contumeliosissimum, & indignissimum erat, ob oculos ponat.

II. Imaginatio Servatoris tot rebus horrendis territa, & ratione animata intra momentum, omnia ei imminencia tormenta cum omnibus, iisque truculentissimis adjunctis in mentem revocat, ut ex eo tempore vehementiùs, quàm in ipsa sua Passione cruciaretur; tunc enim supplicia corpus ipsius solummodò, & quidem singula ordinatim torquebant; sed modò omnia conjunctim cor ipsius obruunt; quin aliquid istorum dolorum violentiam aut avertat, aut mitiget. Hic enim afflictus ipsius animus longè acerbìus sensit dedecus proditionis, negationis, derelictionis à discipulis admittæ; convitia, blasphemiam, probrosa nuditas, indigna Barrabæ postpositio se ipsi præsentabant cum omnibus suis ignominijs; flagellationes, spinæ, clavi, crux vi anticipata totam suam crudelitatem exseruere. Poteratne Christi amor magis ingeniosus esse ad suppeditan-

tan-

randam sibi tolerandi ansam? poterátne Aprilis.  
magis ingeniosus esse ad demonstrandum  
tibi suum in te amorem, suúmque deside-  
rium tui erga se amoris; & quantopere eum  
mereatur? & eum tamen posthac ei dene-  
gabis?

III. Verùm hi omnes denique Crucia-  
tus Servatori minùs fuère intolerabiles ob  
crudelitatem, quàm inutilitatem suam.  
Hæc enim tormenta quantumcunque tru-  
culenta, suavia ei accidissent, si persuasis-  
set sibi, omnes homines per ea salutem  
æternam consecuturos. Hæ spinæ, hi cla-  
vi, hæc Crux omnē suam acerbiter am-  
fissent; quin imò & dulces ei fuissent, si  
credidisset, eos cor tuum penetraturos, sa-  
lutemque tuam in tuto posituros. At, dum  
considerat minimam pretiosi sanguinis sui  
guttam mundorum millionibus sufficien-  
tem esse redimendis; & tamen omnem  
sanguinem suum effusum non suffecturum  
ad salutem integro alicuj mundo compa-  
randam, nec duritiem cordis tui emollien-  
dam, nec amoris tuo impetrando, neque fe-  
licitati æternæ tibi obtinendæ, Ah! hic est  
calix ille, quem sibi auferri desiderat. Heu  
me! erone tam cæcus, & ingratus, ut op-  
timum Servatori meo tam acerbum dolorem  
creem, mihi met ipsi tam crudelem infeli-  
citatem accersendo?

Aprilis,

Statue impedire, ne Cruciatu Dei Homini  
inutiles tibi sint, & supplere satage, quod illis  
deest, eorum tibi pretium applicando.

Attendite, & videte, si est dolor, sicut  
dolor meus. Thren. 1.12.

Quis tantam dignè possit eloqui pieta-  
tem? innocens affligitur, ut noxius libere-  
tur: ut redimatur servus, occiditur Filius.  
S. Aug. Serm, 138.

---

DOMINICA PALMARUM,

De doloribus Christi internis  
*intuitu nostrorum peccatorum.*

L

SI aspectus tormentorum, quæ Servatori  
nostro erant subeunda, tam acriter cor  
ejus afflixit; tum enim verò multò magis  
eum afflixit consideratio peccatorum no-  
strorum, quorum ponderi se submissurus  
erat, tum ob confusionem, quam subitu-  
rus esset, si eorum onus in se susciperet;  
tum ob dolorem, quem ei peccata nostra  
attulere, postquam ea sibi reipsa imposuit.  
quàm inulitaram vim cordi suo non intulit,  
cùm id ad omnium hominum peccata in se  
recipienda adigeret? Cæterum averſus  
ab

ab hoc onere subeundo oriebatur primò ex eo, quòd peccatum ipsi penitus adversaretur: tanto enim in id odio, quanto in Patrem suum amore ferebatur. Et hic ipse amor, qui hoc odium erga peccatum ipsi inspiravit, ipsum impulit, ut peccatum destructurus, id in se fusciperet. 2. oriebatur è multitudine horum peccatorum: unicum illorum solum ei pondus intolerabile fuisset, & onustum se videt totius orbis sceleribus. mirandumne igitur, si is, quantus quantus est Deus, ijs succubat? & nihilominus hæc moles tam levis tibi videtur? Denique 3. Oriebatur hæc averfio à turpitudine horum peccatorum, quæ ipsum Patri suo horroris, & execrationis reddebat objectum, & gravissimarum vindictarum scopum, cum prius infiniti ipsius gaudij centrum esset. Si Deus proprium Filium hunc in modum tractat, qui non nisi imaginem peccati habet, quid nos manet misera mancipia, & reapse peccatores?

II. Sed amor Servatoris non solum animum ipsius afflixit ob confusionem de nostris peccatis, quibus ut se oneraret, amor eum compulit; sed etiam ob dolorem, ad quem concipiendum amor eum obstrinxit, postquam peccatorum onus in se susceperat. Omnia alia ipsius tormen-

ta

Aprilis

Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum Isa. 53. 6.

Factus est pro nobis maledictum Galat. 7. 13.

Aprilis.

ta suos habuere limites ; at dolor iste nullos habuit ; sed gravitati, & multitudi peccatorum nostrorum, tum etiam odio, quo Christus peccatum prosequeretur, & ipsius in nos charitati ex æquo respondebat : quæ, cum omnia essent infinita, necessarium erat, ut dolor ipsius infinitus etiam esset. Obversabantur tunc ei ob oculos omnes peccatores, ut eos lacrymis suis lavaret. *Ploravit super singulos.*

*Gen. 43. 13.*

Non subterfugit ullum peccatum, vel potius cor ipsius afflictum nullius è delictis nostris furori, ut ita dicam, se subduxit. Illo momento omnia hinc convenere, velut cotidem leones vinculis soluti, rabiem suam in ipsius animum exoneratura. Atque tunc etiam tua cum alijs peccata se stiterunt. Peccatum illud, quod adeo tibi delectabile visum est, quod omnem tibi voluptatem attulit, cor Servatoris tui amaritudine replevit immensa : an id posthac oblectationis tuæ scopus esse potest ? vel potius, qui fieri potest, ut præ dolore non moriaris, quod Redemptorem tuum tantopere afflixeris ? Si cognoscere peccati gravitatem velis, conijce oculos in cor Christi, & in effectus, quos peccatum in eo profert : non verò in iudicium, quod cor tuum corruptum de eo ferre solet.

III. Das

Aprilis,

III. Dolor Servatoris ultra modum vehementis fuit, cum eum gemere, & fateri coegerit, animam suam tristem esse usque ad mortem. Si Christus præ vehementia doloris, & amoris sui erga nos fuisset mortuus, quantopere ipsi obstricti non essemus? verum sumusne ei minus obstricti, quod nostri gratiâ doloribus succumbere voluerit? dolor ipse omnem excessit modum; siquidem ipsum tremere, tergiversari, & Patrem suum rogare coegit, ut se ab hoc calice immunem redderet, non à cruciatibus; hos enim ardentem desiderabat, sed à peccatorum calice, qui ei ad fæces usque exhauriendus erat. Dolor iste supra modum vehementis fuit, cum ei sanguineum sudorem expresserit, & ipse ejus pondere oppressus, sanguini suo innatans, humi prostratus fuerit. Si hic aspectus te non movet, si tantum amorem erga Iesum non inspirat, quantum odij erga peccata tua, quid movere te poterit?

*Roga Dominum tuum, ut participem te reddat acerbi illius doloris, quem tunc temporis ipse concepit à peccatis tuis; & offer aeterno Patri dolorem immodicum, quem filio ipsius peccata tua peperere, ut doloris tui debilitatem suppleat.*

E

Mag-

Aprilis.

Magna est, sicut mare, contritio tua.  
*Thren 2. 13.*

Non solis oculis, sed quasi membris  
omnibus fleuisse videtur. *Bern. Serm. 3.  
Dom. Palmar.*

---

FERIA II. HEBDOMADÆ MA-  
JORIS.

IESUS in sua Passione Amoris  
nostri scopus.

## I.

**D**Eus pro hominibus mortuus, quàm po-  
tens Amoris incitamentum! quò ma-  
gìs quis comprehendit, quid sit Deus, quid  
sit Homo, eò plus difficultatis experitur,  
Mysterium Dei pro hominibus mortui pe-  
nerrandi. Quid est Deus? quid est Ho-  
mo? Deus est sublimitas, potentia, atque  
ipsum summum imperij jus, & potestas.  
Homo est vilitas, imbecillitas, & subiectio  
ipsa. Ecquid igitur est, Deum pro ho-  
mine mori? est hanc sublimitatem, hanc  
omnipotentiam, summamque Majestatem  
se immolare illi vilitati, illi imbecillitati,  
illi subiectioni, ànne hoc comprehendì po-  
test? Homo factus est, ut Deo se immo-

la-

larer. Atque hoc est, quod eum verè bea-  
rum, & gloriosum efficit; sed quòd Deus se  
immolet homini, an non ipsius sapientiæ  
indignum esse censetur? Et sanè divinam  
ipsius hoc sapientiam dedecere videtur.  
Verùm dignum est ipsius Bonitate; & ob  
hanc ipsam rationem cum ipsius sapientia  
insociabile non est; cùm, quod perdere vi-  
deretur ex una, ex altera parte recuperet.  
Is tanti cor hominis aestimat, ut nunquam  
credat, se ad id obtinendum nimium ex-  
pendere. Negabísne illud Deo, qui hoc  
pretio id emit?

II. *Mysterium sanctissimæ Trinitatis*  
non comprehendo: verùm hoc credendū  
difficultatem adeò magnam non sentio,  
cùm mihi persuasum sit, naturam Dei  
comprehensibilem neutiquam esse, & ob  
hoc ipsum eam credo, quia non penetto.  
at *Mysterium Dei pro hominibus mortuū*  
credere, & concipere ex æquo difficile mihi  
accidit. Ad hoc decernendum opus fuit  
tota Dei Bonitate, ad hoc exequendum o-  
pus fuit omni Dei potentia, & sapientia;  
ad hoc concipiendum, intellectum Ange-  
lorum, ad credendum totam fidem perfecti  
cujusdam Christiani habere necessarium  
foret: Si quis verò id comprehendat, aut  
certè credat, nec tamen ita moveatur, ut

Aprilis.

vel ex amore, vel dolore moriatur, quòd Deum ipsum pro homine mortuum non redamet, dæmonis instar se obstinatum esse testatur. Si Deus pro dæmonibus mortem obiisset, quantumcunque inflexibiles esse videantur, fuissentne inflexibiles ad tantam amoris testificationem? & tu, qui tam tenero Creaturarum amore flagras, non movearis?

III. Deus pro me mortuus suavissimam, & solennissimam sanctis in terra animabus occupationem suppeditat, & potentissimos amoris stimulos addit. Deus pro homine mortuus admirationis, & extaseos Angelorum in Cœlis objectum est. Deus pro homine mortuus damnatis in inferno confusionis, & desperationis causa est. Deus pro me mortuus est, damnatus in inferno in omnem æternitatem dicit; & nihilominus ego hic sum. Possúmne dubitare de divina erga me Bonitate, & sincera, quam habuit, cœlitibus me associandi voluntate, ubi eum pro me mortem subire vidi? in quem igitur culpam referre possum, si damner, nisi in me ipsum? difficilius credere nihil est, quam pœnarum æternitatem; verùm, quicumque bene comprehenderit paucula hæc verba: *Deus pro hominibus mortuus*, haud difficile comprehen-

hendet has alias voces: *Hi ipsi ingrati homines pœnarum æternitate puniti.* Qui flagrare non vult flammis amoris, quas Deus pro eo moriens in ipsius corde excitare voluit, ardere meretur flammis, quas justitia divina in inferno accendit. Quibusnam ardere mavis?

*Statue materiam meditationum tuarum ordinariam eligere Passionem Christi Domini, & nec diem prætermittere, quin ejusdem memineris: quamvis autem tantum beneficium quotidie memoriâ repetas, scias tamen, te minus gratam ei te præbere, quàm debeas.*

Qui vivunt, jam non sibi vivant; sed ei, qui pro ipsis mortuus est. 2. Cor. 5. 15.

Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus est in cruce. *Aug. Lib. de Virg.*

---

FERIA III. HEBDOMADÆ MAJORIS.

JESUS in Passione sua amoris nostri scopus.

I.

DEUS pro hominibus mortuus ingens est admirationis materia, & potens amoris motivum. Sed Deus pro inimicis

E 3

etiam

Aprilis.

etiam suis mortuus, res est longè magis inaudita, multòque potentiùs movens. Christus Dominus asserit, neminem posse amicitiam suam meliùs testificari, quàm pro amicis suis mortem oppetendo: cum tamen ipse amore suo longè altiùs collimet, dum pro inimicis quoque suis moritur. At pro quibus inimicis? pro inimicis vilibus æquè, ac insolentibus, sibi magnopere obstrictis, & tamen ingratis. Ut se vindicaret, sufficiebat, eorum oblivisci; atque ita in nihilum reciderent. Ut eos puniret, satis erat velle; & sic in omnem æternitatem eos infelices redderet. Verùm non modò eos non punie; ut merebantur; sed tolerat, expectat, prævenit, gratiam illis suam, & amicitiam offert; & quod magis stupendum, eam illis meretur, & conciliat, pro ijs moriendo, & pro offensis contra se admissis sanguinis sui pretio satisfacit; etsi satisfactionem æternam ab illis exigere jure poterat. Poterátne Deus quantumvis omnipotens charitate sua ulterius progredi?

II. Verùm, quod Christi charitatem adhuc illustriorem reddit, est, quòd, cum nobis gratiam obtinere, & Patri suo nos reconciliare, atque ex inimicis amicos reddere posset unica sanguinis sui gutta, uni-

ca

ca solum lacryma, unico duntaxat suspi- Aprilis.  
rio, unico cordis sui motu, idcirco, quod  
minimæ actiones Christi, utpote actiones  
Theandricæ, meriti essent infiniti, nihilo-  
minus non modò sanguinem suum dare;  
sed integrum ejus torrentem pro nobis  
profundere, non tantum mortem, sed mor-  
tem omnium ignominiosissimam, & crude-  
lissimam subire voluerit. An non hoc est,  
mi Servator, sapientiæ tuæ leges violare,  
dum tantos s. imprus facis in id, quod tam  
facile obtineri poterat? sed hac occasione,  
mi Domine, potiùs Bonitatem tuam,  
quàm sapientiam consuluisse videris. Et  
minùs ad Majestatis tuæ sublimitatem,  
quàm ad magnitudinem necessitatum mea-  
rum attendisti, cum majori tibi curæ fue-  
rit, amorem, quàm meam in te reveren-  
tiam mereri: verum licet minorem re-  
verentiam à me exigas; an idcirco mino-  
rem tibi exhibere teneor? an non ob hoc ip-  
sū quoque majorem in te mereris amorem?

III. Dicit nihilominus potest, Dei Bo-  
nitatem divinæ sapientiæ injuriam non fe-  
cisse; & licet ipsius in hominem Amor,  
æquè, ac ejus Cruciatu, supra modum ve-  
hemens fuerit, cœcum tamen non fuisse;  
nec absque ratione tanto nos pretio rede-  
misse; per hoc enim testari nobis voluit,

Aprilis.

quanti pretij sit gloria divina, nec ulli labori parcendum esse, ubi de ea promovenda agitur. Præterea ostendere voluit, quid sit peccatum; ut è præstantia remedij nobis applicari de magnitudine mali iudicium ferremus: nam, ut S. Bernardus ait, vulnera nostra valde periculosa fuisse necesse est, quòd necessarium fuerit, ut ad ea sananda Deus vulneribus cooperiretur. Denique Christus per tormentorum suorum enormitatem monstrare nobis voluit excessum amoris sui, ut, si facilitas, quam habuerat, nos creandi, qualemcunque ingrato nostro animo se purgandi præbuisset ansam, difficultas saltem, quam habuit, nos redimendi, ad eum amandum necessario nos obligaret. Eheu! si post tormenta tam incredibilia, quæ nostri amore subijt, eum etiamnum tam parcè amamus, quid fecissemus, si vel nihil, vel parùm pro nobis passus esset?

*Excita affectus Confusionis, quòd tantum difficultatis obtenderis aliquid pro Deo, & anima tua agendi, vel patiendi; cum tamen Deus minime sibi pepercerit, cum ad salutem tibi comparandam eum pati oportuit.*

Commendat autem suam charitatem Deus in nobis; quoniam, cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. Rom. 5. v. 8. & 9. Si

Si non dilexisset inimicos, nondum pos- Aprilis.  
sederet amicos. Bern. Serm. 20. in Cant.

FERIA IV HEBDOMADÆ SAN-  
CTÆ.

JESUS in sua Passione nostræ  
commiserationis objectum.

I.

JESUS debet esse objectum miserationis  
nostræ, quia multa patitur. Magnitu-  
do dolorum Christi in sua Passione colligi-  
tur. 1. è multitudinem eorum, qui ad eum  
cruciandum conspirant: magni, parvi,  
Scribæ, sacerdotes, Pharisei, Romani, ami-  
ci, inimici, omnes sunt causa, ut patiatur, qui  
pro omnibus pati debebat. 2. è multitu-  
dine tormentorum; cum nec ullam par-  
tem in suo corpore, nec facultatem habue-  
rit in anima, quæ peculiare suum tormen-  
tum perpeffa non sit. 3. è spatio tempo-  
ris; cum passus sit à primo usque ad ul-  
timum vitæ momentum, sine intermissione,  
sine levamine doloribus semper crescenti-  
bus. 4. è genere pænarum, quæ fuere  
prorsus inusitatae, ut coronatio è spinis;  
aut exercitæ modo penitus inaudito, ut

E 5

fla-

Aprilis,

flagellatio. 5. è delicata corporis habitudine, & ad omnes dolores tenerrima. 6. è vivacitate imaginationis, & applicatione ad omnia sua mala, ut nullum eorum ipsum præteriret, quin totam illius sentiret acerbiter. An ullus unquam hominum tantillo tempore tanta passus est? an non igitur meritò vir dolorum dicitur? sed vir dolorum non est, nisi quia Deus amoris est: si hisce ipsius doloribus, & amore non movear, an non potiùs rupes, quàm homo sum?

II. Iesus objectum esse debet commiserationis nostræ, quia pro nobis patitur. Malis alicujus bestiae, si ea pro nobis pateretur, vehementer moveremur; & ijs, quæ Deus pro nobis patitur, non movebimur? in crudelissimis etiam tormentis Christi oculis continuò obversati sumus. Is è turba, ut ita dicam, nos secernens merita sua peculiari ratione nobis applicavit. Nos ipsum ad illa subeunda movimus: atque hæc quantumcunque essent crudelia, suaviter ei acciderunt, quia nobis profutura; & ipsius in nos amorem satis, superque restatura, simulque nostrum meritura. Amor, quo Christus in nos ferebatur, & desiderium hujus amoris nos convincendi effecit, ut crudelissima quæque tormenta a-

ma-

mabilia ei viderentur. Difficultas pro ipso patiendi, quam experimur, ostendit vel exiguum nostrum erga ipsum amorem, vel quòd nobis parùm cordi sit, eum testari. Homo, qui non amat Deum pro se mortuum, vel pro ipso mori, vel saltem unicè ipsi vivere paratus non est, vita dignus non est. Apostolus anathema in ipsum pronuntiat: & nonne id meretur? dum enim IESUM non amat, seipsum condemnat; dùmque eum è corde suo expellit, seipsum è corde IESU extrudit. Potèstne funestior esse proscriptio?

III. IESUS esse debet objectum Commiserationis nostræ, quia pro nobis patitur; quia nos dolores hos ipsi accersivimus; neque enim eorum motivum duntaxat, sed etiam causa sumus. Ac propterea non tantùm pia cogitatio, & hyperbolica opinio est, si dicimus, peccata nostra Christum Dominum Cruci affixisse, sed articulus fidei. Iniquitates nostræ, inquit Propheta, eum vulneribus cooperuerunt. Hæ rabiem inimicorum, & justitiam Patris æterni in eum armavêre. In finitè speciosus erat, objectum oblectationis æterno Patri suo. In finitè sanctus erat peccati incapax. In finitè beatus erat doloris sensui inaccessus. Quia verò sponsor noster fuit,

Ideò

*Vulneratus  
est propter  
scelerano-  
stra.*


Aprilis.

Ideò necessarium fuit, ut se dolori, quem nos eramus meriti, subijceret, ac totum iræ paternæ pondus sustineret. Ipse est Iacob ille veste Esavi indutus, à Patre suo non agnitus, non ut ejus Benedictionem præriperet, sed maledictionis scopus evaderet. Possúmne mihi imperare, quin hujusmodi Dominum amem, qui, licet infinito horrore peccata mea abomináretur, ijs tamen se subjecit, ut me à pæna illis debita liberaret. Possúmne amare peccatum, quod Servatorem meum in tam miserabilem adduxit statum?

*Statuamus non simplice duntaxat commiserationis affectu erga Christi Domini Cruciatu contenti esse; sed ulterius ad sincerum & generosum peccatorum nostrorum horrorem progredi.*

Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.  
*Isa. 53. 5.*

Portans crucem suam IESUS grande spectaculum! si spectet impietas, grande ludibrium! si pieras, grande Mysterium.  
*Aug. in Ioan.*



Aprilis.

PRODIE JOVIS SANCTO.

Jesus in sua Passione Confidentia nostræ objectum.

I.

**C**Ruciatuſ, & ſatisfactiones IEſu Chriſti grande ſunt confidentiaſ noſtraſ motivum. Cùm juſtitiæ divinaſ mille ta- lenta, hoc eſt debita immenſa peccatiſ noſtriſ contracta debeamus, ſolvendiſ impares ſumus. Creaturaſ omneſ conjunctim ſuppeditare nobiſ haud poſſent ſumptuſ iſ expungendiſ ſufficienteſ. Peccatum quodammodo infinitum eſt, quia Majeſtatem offendit infinitam; injuria verò infinita reparari nequit, niſi à perſona infinita, Homine-Deo. Gutta ejuſ ſanguiniſ unica valoriſ erat infiniti: iſ tamen integroſ illiuſ torrenteſ profudit, ut juſtitiæ divinaſ ſolveret id, quod ei debebamus. Ipſe ſponſor noſter factuſ eſt, & ſimul pro nobiſ ſatiſfecit. Ipſe homo eſt, adeoque ſe demittere, pati, mori, & ſatiſfacere Patri ſuo pro nobiſ potuit: verùm ſimul etiam Deus eſt; & idcirco ſatiſfactio, quam offert, eſt infinita, & injuriæ ex æquo reſpondens.

II. Cùm

Aprilis.

II. Cùm satisfactiones Christi sint infinitæ, bene concluditur 1. Reparationem, quam pro nobis præstat, cùm delicta nostra quantumcunque gravia sint, sint tamen finita, & eorum reparatio infinita, Offensæ non modò æqualem, sed ea etiam superiorem esse; 2. Deum magis honorari minimo Christi Domini cruciatu, quàm omnibus totius mundi sceleribus offendatur. Quanta hæc solatij causa? 3. Et si omnibus omnium hominum, & dæmonum commissemus flagitia, unam solam Christi sanguinis guttam plus habere virtutis, quàm ad ea delenda sit opus; & licet inferni flammæ millies fuissimus promeriti, unicam ex ejus lacrymis sufficere ad nos ex ijs liberandos. Quantum peccatori fiduciæ incitamentum! Heu me! Domine, si considero scelerum meorum enormitatem & multitudinem, vilitatem meam, & Majestatem tuam, quàm offendere ausus sum amore exigui commodi, amore infamis cujusdam voluptatis, post infinitos, quibus tibi obstrictus eram, titulos; si recordor immenti odij, quo peccatum averſaris, terribilium vindictarum, quas de ijs sumpsisti, non nisi desperandi pro me causas invenio; sed ubi oculos meos in Dominum meum Cruci affixum conij-

cio

cio; si in ea Deum video sanguinem suum Aprilis.  
ad ultimam usque guttam peccatis meis expiandis profundentem, non solum desperare, sed & timere cesso.

III. Pater æterne, noli me intueri; me, qui miser peccator sum; sed intuere filium tuum è Cruce amore mei pendentem; vel, si intueri me vis, intuere me velut in ipsius vulneribus latitantem, in quæ me abscondi. Vox vulnerum ejus altiùs, & efficaciùs clamat, quàm vox peccatorum meorum, majorique vi pollet, gratias tuas mihi accersendi, quàm peccata mea habeant, vindictas tuas in me provocandi. Justitiæ tuæ multùm debeo; sed plus, quàm debeam, solvo, si tibi sanguinem, & satisfactiones Servatoris mei offero. Crimina mea quantumvis grandia, & numerosa sint, infinita planè non sunt; cruciatus verò Servatoris mei pretij sunt prorsus infiniti. Cùm igitur in cor Iesu me abderim, velut asylum iræ tuæ inaccessible, à plagis tuis tutus sum; majorem causam habeo ob tormenta filij tui, de misericordia tua Confidendi, quàm ob peccata mea justitiam tuam formidandi

*Cùm te desperatione & animi abjectione ob peccata tua tentari sentis, intuere Christum tuum*

Aprilis.

tuum è Cruce suspensum. tum aspectus iste mentem tuam eriget, & fiduciam animabit.

Respice in faciem Christi tui. *Psal 83.*

10.

Fusus Domini sanguis donatus est homicidis, ut non dicam, Deicidis. *Aug. in Psalm. 65.*

## DIE VENERIS SANCTO.

## JESUS in sua Passione Imitationis nostræ objectum.

I.

*Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum.*

*1. Petri. 2. 21.*

*Exod. 25. 7. 21.*

SI Christus passus est, inquit Apostolus, ideo passus est, ut nobis relinqueret exemplum, & per hoc exemplum, quo nobis præluxit, potens incitamentum suppeditavit, quo ad patiendum animaremur, unaque gratias est promeritus ad id nobis auxilio futuras. Pater æternus cuius Christiano filium suum in monte Calvarie monstrans, id, quod olim Moyse, dicitur inspice, & fac secundum Exemplar, quod tibi in monte monstratum est. Atque id imitari stude. Si divini hujus Archetypi ætymon non es, si Christo, & quidem Crucifixo, cum is in Cruce præcipue prædestinationem tuam meritus tibi est, similis non

non es, prædestinatus esse non potes: de- Aprilis.  
est aliquid, Apostolo teste, Christi Domini  
Cruciatibus; unde necessarium est, ut id  
ipsis adjungatur, nempe applicatio; illi  
enim prodesse tibi non possunt, nisi tibi ap-  
plicentur; nec applicari tibi possunt, nisi  
Christo patienti unitus, & cum ipso Cru-  
ci affixus sis. Quî verò cum eo Cruci af-  
fixum dicere te potes, qui naturæ impe-  
tus sectaris, vitamque corporis voluptati-  
bus prorsus addictam agis?

II. Id, quod præcipuè in Servatoris no-  
stri Passione imitari tenemur, est spiritus  
ille sacrificij, quo omnia gloriæ Patris suæ  
consecravit. Homines stupidi, cæci &  
suique ipsorum amore fascinati, vix ca-  
piunt, quid sit Deus; quid is mereatur;  
quid ad ipsius gloriam præstare nos oporteat:  
necessarium igitur fuit, ut Homo-  
Deus id eos doceret, seipsum ad gloriam  
Patris sui immolando per sacrificium con-  
tinuum, dum id inchoavit in vita sua, non  
nisi in morte sua finiturus; per sacrificium  
quoddam universale; dum bona, delicias,  
gloriam, vitamque suam ei consecravit;  
per sacrificium quoddam perfectum. Nam  
si immolavit bona sua, ut prorsus nudus in  
Cruce moreretur, si immolavit delicias  
suas, ita, ut vehementissimo dolori, &

F

cru-

Aprilis.

crudelissimis tormentis se obijceret; si immolavit gloriam suam, ut opprobrijs, & atrocissimis convicijs se se exponeret; si immolavit vitam suam, ut in patibulo moreretur; poteratne, licet omnipotens sit, hoc sacrificium præstantius reddere? Homo-Deus ad extremam usque sui depressionem pro gloria Dei immolatus concipere nos docet, quantus sit Deus, quantum mereatur, & quid consecrare ejus gloriæ debeamus.

III. Hoc est illud exemplum, quod tibi proponitur: *inspice, & fac secundum Exemplar*: an id difficile accidere tibi potest, si cogites. 1. Deum esse, qui hoc tibi exemplum præbet, atque id tibi præbere ex amore, quo te complectitur. 2. totam felicitatem, & gloriam hominis in eo consistere, ut Deo in sacrificium immoletur, cum non nisi pro Deo creatus sit. 3. si omnes Creaturæ bona, gloriam, vitamque suam ad gloriam Dei immolarent, minus id fore, quam si vilissimus terræ vermiculus maximo totius orbis Monarchæ immolaretur. 4. Etsi hæc bona omnia in se penitus vilia, & contemptibilia forent, nilominus, ut primùm Deo consecrarentur, pretij, meritique evasura infiniti. 5. nos, si Deo omnia consecremus, omniâque amittamus,

mus, omnia reperire, quia Deum inveni- Aprilis,  
mus. Denique, si priorum commo-  
dorum obliviscamur, cum fœnore infinito  
ea à nobis recuperare; quia Deus eorum  
recordatur. Felix oblivio, quæ Deum  
cogit efficaciter mei meminisse!

*Scrutare conscientiam tuam, ut cognoscas,  
quale sacrificium nunc Deus à te maxime requi-  
rat; & statue id ei prestare, quocunque demum  
pretio.*

Sacrificium, & oblationem noluisti.  
Tunc dixi, ecce venio. *Psal. 39. v. 7.*

Quid te hortatur, ut imiteris? quod non  
posset, nisi factus Homo; tolerare enim  
Passiones nunquid posset, nisi factus ho-  
mo? *Aug. in Psal. 90.*

---

## SABBATO SANCTO.

### De Doloribus B. M. Æ. Virginis.

#### I.

**R**Ètè dixeris, si dolores filij dolores ma-  
tris fuisse dixeris; neque ullum ho-  
minem secundum Christum tanta perpes-  
sum esse; quanta B. m. a. Virgo perpessa est.  
Si ipse vir dolorum fuit, tunc illa mater  
dolorum fuit: dolor illius amore, quo fi-  
lium

Aprilis.

lium complectebatur, haud minor fuit; amabat ea filium suum plus, quam omnes homines conjunctim eum unquam amarint. Hinc doloris magnitudinem collige; quidquid ipse in suo corpore sustinuit, Maria in corde suo pertulit; vulnera, quæ Christi membra lacerabant, cor Mariæ penetrabant. Cùm filium patientem videret, longè plura patiebatur, quam si ipsamet omnes ipsius cruciatus fuisset perpessa; quia longè ardentius filium, quam seipsam amabat. Si ipsius tormenta in se suscipiendo minuere ea potuisset, gaudio id sibi duxisset. Pati enim pro amato dulce est: sed dolor omnis solatij expers est, videre dilectum affligi, nec subvenire ei posse. Si tanto, quanto Maria, Christi amore flagraret, næ tu etiam vehementer, sicut ipsa, ex ejus cruciatibus dolorem caperes, atque illorum particeps esse optares.

II. Quemadmodum Maria Mater fuit afflicta, sic non minùs etiam fuit generosa; dolor ejus animum non fregit, nec doloris sensus quidquam ipsius voluntatis cum Divina consensum imminuit. Stabat ea juxta Crucem filij sui, & quemadmodum tormentorù ipsius particeps, sic & constantiæ ipsius consors erat. Filius ei ad patientiam exemplo, & incitamento erat. Patet

Arec-

Æternus voluit, ut ea filio suo se jungeret Aprilis  
 grande hoc sacrificium oblatura, quod  
 mundo salutem afferre debebat. Hinc non  
 minus ipsi, quàm olim Abraham, dicit:  
*Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis* :  
 imò & illū ipsū mihi immola. Non fuit mi-  
 nus afflicta, quàm Abraham; sed illo ge-  
 nerosior, quia, cum incomparabiliter plus  
 IESUM amaret, quàm Abrahamus Isaacum,  
 plus etiam immolare debuit. Præterea  
 Pater Æternus non ita pepercit Mariæ,  
 sicut Abrahamo; sola enim voluntate neu-  
 riquam contentus, voluit, ut rem execu-  
 tioni daret, & sacrificium, quod inchoârat,  
 absolveret, ab eo momento, quo Simeon  
 ei denuntiârat, filio ipsius moriendum.  
 Quanto Mariæ non stetit, ut saluti tuæ  
 consulere, eamque in tuto collocaret? &  
 tu salutem tuam nec minimâ tui victoriâ  
 comparare velles?

III. Si Maria generosa fuit in monte  
 Calvariæ, non minus etiam gloriosa ex-  
 titit. Multum ea Deo consecravit; sed  
 & Deus multa eidem rependit. Quanto  
 illi non stetit, ut filium suum morti offer-  
 ret? sed quantam gloriam non fuit ade-  
 pta, quòd hoc sacrificium fecerit? dum  
 Corredemptricis hominum (ut ita dicam)  
 merita est dignitatem ob felicitatem, quam  
 F 3 habuit,

Aprilis.

habuit, proprio consensu operam suam conferendi ad sacrificium, quod filius obtulit, futurus orbis Redemptor. Eva, cum ad arborem illam fatalem, ad arborem illam execrandam accessit, mortis nostræ causa fuit. Maria, cum ad arborem Crucis, ad arborem benedictam accessit, origo nobis gratiarum fuit. IESUS, dum morte sua vitam nobis comparavit, Pater noster evadit; Maria, dum ad hoc consensum suum præbuit, Mater nostra effecta est. Quin imò filius eam omnibus prædestinatis matrem dedit eo ipso tempore, quo eam Joanni matrem commendavit, cum dixit. *Ecce Mater tua.* Complectere eam sincero, qui filium decet, amore, tuamque in ea confidentiam pone, tunc ipsa amore, curamque tui maternam habebit; & quemadmodum filio suo morienti adstitit, sic te morientem non deseret. Felicissimum te, si hac ope non carueris!

Ioan. 19.  
17.

*Roga B.V. ut cum dignitatem Corredemptricis merita sit in monte Calvarie, sic hoc officij tibi præstet, comparando gratias, quæ hujus Redemptionis pretium sunt, maximè gratiam beatæ mortis.*

Tuam ipsius animam pertransibit gladius. *Luc. -- 35.*

Chri-

Christus offerebat in sanguine carnis, Aprilis.  
Maria offerebat in sanguine cordis. Bern.

---

## FESTO PASCHATIS.

Resurrectio Christi funda-  
mentum est fidei nostræ.

## I.

**F**ides Apostolorum cum eorum Magistro  
mortua esse videbatur. Nec mirum ;  
quanta enim fide non erat opus, ut crede-  
rent, hominem in cruce mortuum esse  
Deum? sed eorum fides cum ipso resurgit.  
Ipsius ad vitam reditus fuit instauratio fi-  
dei illorum, nostræque fundamentum, &  
eiusdem simul perfectio. Fides in seip-  
sa obscura est, sed Christi Resurrectio eam  
palam facere videtur, dum eam clarissimis,  
quibus eandem illustrat argumentis, de-  
monstrat, suamque Divinitatem per Resur-  
rectionem suam manifestam reddit. Om-  
nes illi, qui operam suam commodâ-  
runt ignominiosis ipsius cruciatibus, ean-  
dem etiam commodârunt confirmandæ  
gloriæ, & veritati Resurrectionis ipsius.  
Pater Æternus, dum angelos misit eam  
denuntiaturus; Iudæi appositis ejus tumu-

Aprilis.

lo custodijs eum in finem, ut discipulis corpus Christi furripiendi præcluderent viam, unaque rumorem, quem de ejus resurrectione sparsuri essent, redderent incredibilem. Discipuli denique fidem Resurrectionis confirmârunt per ipsammet suam incredulitatem; quæ eorum Magistrum impulit ad comprobandam resurrectionis suæ veritatem argumentis tam potentibus, quæ ipsorum incredulitatem persânarint, nostramque anteverterint; cum eorum testimonium tantò plus habeat ponderis, quantò plus in credendo sensere difficultatis.

II. Si Christi Resurrectio argumentis, quæ ipse de ea attulit, evidens facta est, tunc & ejusdem Divinitas per ejus resurrectionem aliquo modo facta est evidens.

*Si Christus non resurrexit, inquit Apostolus, inanis est ergo prædicatio nostra, inanis est & fides vestra.* Si verò resurrexit, tunc fides nostra solida, & Evangelij veritas evidens est: is enim si resurrexit, tum Deus est: Nam si spectetur ipsius resurrectio, ut effectus potentiae Patris, ut hominem ad vitam revocantis; filius, qui resurrectionem suam, ut argumentum convincens suæ divinitatis attulit, nisi unà & Deus esset, **Pater Aternus æquè parùm eum in his circum.**

cumstantijs ad vitam revocare potuisset, quam parum potest mendacium sua auctoritate firmare, quod utique nulla ratione fieri potest. Si ejus Resurrectio spectetur, ut effectus propriarum Christi virium, nemo est, nisi Deus, qui seipsum ad vitam revocare, & in morte ipsa vitæ originem invenire possit. Imò filius Dei Resurrectionem suam semper attulit, ut præcipuum divinitatis suæ argumentum. Cæcutire igitur velle necesse est eum, qui hujus argumenti evidentia submittere se recusat.

III. Si Christum Deum esse non credis, Christianorum è numero non es, & ob hoc ipsum jam judicatus es. Si verò Christum Deum esse credis, fides ipsa te condemnabit, idcirco, quòd vivas perinde, ac si id non crederes. Et sanè si potissima Christianorum pars, Christum Deum esse, non crederet; si contrarium eis persuasum esset, possentne aliam vitam agere? Exhiberentne minorem Templis, & sacris ejus mysterijs reverentiam? haberentne minorem axiomatum ipsius rationem, minorem Dei amorem, minorem in ejus cultu fervorem? minorem gloriæ ipsius Zelum? haberentne plus horroris, palàm profiteri, se ipsi addictos esse? erubescerente

Aprilis.

magis Evangelium? amaréne magis mundum, quem sciunt Dei esse inimicum? statueréne sibi, uti faciunt, mundi effata vitæ suæ Regulas, ejusque æstimationem ambitionis suæ scopum? si non credis Christum Deum esse, an non à fide alienus es? si autem id credis, & vivis quasi non credas, an non insanus es?

*Dic Christo cum Patre illo Evangelico: Credere Domine, adjuva incredulitatem meam.*

Nam si Crucifixus est infirmitate, sed vivit ex virtute Dei. 2. Cor. 13. 4.

Dicit Pater ad filium: ego hodie genui te; nunc enim probasti, te esse filium meum. *Ambros.*

## FERIA II. PASCHÆ.

Resurrectio Christi spei nostræ incitamentum est.

## I.

CHRISTI Resurrectio spei nostræ incitamentum est. Cùm ea Resurrectionis nostræ argumentum, & pignus sit: si Christus in vitam redijt, ait Apostolus, qui fit, ut homines inveniantur, qui nos resurrecturos negare audent? Christus Redemptor

noster est in resurrectione æquè, ac in morte sua, & quidem Redemptor perfectus, qui redemit nos, ut Apostolus inquit, redemptione abundante, dum venit ad reparanda cum fœnore damna, quæ peccatum Adæ nobis attulerat; cum secundus Adam potentior sit, ad nos ab interitu vindicandos, quàm primus ad nos perdendos. Si igitur peccatum Adami veneno suo animam, & corpus ipsius infecerat, necessarium erat, ut Iesus per gratiam non solum animæ, sed & corporis vitam per resurrectionem suam nobis redderet. Hoc motivum spem Jobi animabat, ut diceret: certum mihi est, Redemptorem meum in vitam rediturum; & hoc cum ipso quondam resurgendi spem mihi facit. Hanc spem in animo meo servo; hæc ærumnas meas mitigat, & me solatur.

Aprilis.  
Ubi autem abundavit delictum, superabundavit gratia, Rom. 5. 20.

Credo, quod Redemptor meus vivit, & in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Job. 19. 26.

II. Christus in Resurrectione sua non tantum Redemptor, sed & caput nostrum est. Quod nobis alteram rationem, novumque spei incitamentum præbet. Caput perfectum, quale Christus est, tria habere debet. 1. Debet esse membris suis unitum. 2. Eis vitam, motumque impertire. 3. Denique è felici vel infelici membrorum suorum statu semetipsum felix, vel infelix reputare. Si non essemus resur-

re-

magis  
inimic  
mun  
æst  
si non  
a fide  
vivis  
? Cred  
sed vi  
e genu  
filiu  
no  
incita  
ctioni  
i Chri  
quâ sit  
resurre  
empro  
no

Aprilis.

recturi; impletne Christus primum capituli munus, si nobis ab eo æternum se paratis, & in tumultu relictis, ipse in celo regnaret? an non etiam negligeret secundum, si vitam gloriæ, quam ipse per resurrectionem acquisivit, nobis denegaret? *sui capituli gloriam, dicit Gregorius teste, membra sequuntur.* Denique forent ipsius Beatitudo completa, si eo tempore quo ipse omnibus gauderet bonis, ejus membra in corruptione, & miseria sepulta manerent? Imò S. Paulus resurrectionis nostræ certitudinem nobis ostensurus de ea, ut de re jam facta dicit: *Deus consuscipuit, & consedere nos fecit in cælestibus in Christo Iesu.*

III. Christus in resurrectione sua non capit modò, sed & exemplum nostrum est. Idcirco ei similes esse nos oportet; si prædestinatorum è numero esse velimus. Similes ei esse debemus in vita, virtutes ipsius imitando 2. In morte sensus, & cupiditates nostras domando. Duæ istæ similitudines indubitato tertiam quandam proferent, similitudinem videlicet cum Christo in statu Resurrectionis, & gloriæ ipsius. Arque hoc est, quod S. Paulus notat, dum ait: *Si complantati facti sumus similitudini mortis ejus, simul & resurrectionis*  
eri-

erimus. Et alibi : Si commortui sumus, & Aprilis  
convivemus: si sustinebimus, & conregnabimus.  
Si verò peccato, & pravis animi nostri  
moribus non moriamur, cum Christo re-  
furgere frustra contendimus. *Christus mor-*  
*tuus est, inquit idem Apostolus, & resurre-*  
*xit, ut qui vivunt, non jam sibi vivant, sed ei,*  
*qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. ut verò*  
*Christo vivamus, nobis ipsis mori debe-*  
*mus. Et hoc est, quod in animum indu-*  
*cere non potes; quod tamen necessarium*  
*est.*

2. Cor. 5. 15.

*Si Christo glorioso similis esse cupis, statue si-*  
*militudini cum Christo Cruci affixo acquirendæ*  
*studere.*

Si commortui sumus & convivemus ;  
2. Tim. 2.

Suscepit mortem, ne mori timeremus ;  
ostendit resurrectionem, ut nos resurgere  
posse confidamus. Greg.

FERIA III. PASCHÆ.

Resurrectio Christi Archety-  
pum est resurrectionis nostræ.

I.

**R**esurrectio Christi ad vitam gloriosam ;  
archetypum est Resurrectionis nostræ  
ad

Aprilis.

ad vitam novam. Christi resurrectio du<sup>o</sup> complectitur, statûs mutationem & in hoc statu constantiam. Sic resurrectio nostra ad vitam novam complecti debet primo statûs mutationem. Propterea Apoll<sup>o</sup>lus nos hortatur, ut si resurrectionis Christi participes fieri cupiamus, novum indu<sup>ti</sup>ti hominem in novitate vitæ ambulemus. Qu<sup>o</sup> prodest, inquit S. Augustinus, quia per penitentiam humiliamini si non mutamini?

*Ut quomodo  
Christus re  
surrexit à  
mortuis, ita  
et nos in no-  
vitate vitæ  
ambulemus  
Rom. 6.  
Ibid. v. 10.*

cundo, resurrectio nostra ad vitam novam comprehendere debet constantiam in hoc statu, ut imitemur Christum; qui, ut S. Paulus ait, resurgens ex mortuis jam non moritur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel. Quod autem (ad vitam redux) vivit, vivit Deo. Eodem modo & tu, si verè peccato per penitentiam mortuus es; si verè ad vitam novam redijsti, non amplius, nisi Deo vivis: si verò etiamnum peccato vivis in relabendo, an non resurrectio tua dubia est?

II. Scriptura sacra trium modorum resurrectionis meminit. Prima non erat nisi apparens, qualis fuit resurrectio Samuelis, qui per incantationem quandam Sauli se videndum præbuit. Secunda erat vera; sed imperfecta, ut illa Lazari, qui quidem ad vitam redijt; sed denuò mortuus. Tertia vera, & perfecta est, nimirum

rum

rum Christi Domini; qui resurrexit post-  
hac non moriturus. Prima nobis propo-  
nit multorum Christianorum resurrectionem  
ad gratiam, quos tempore Paschatis  
necessitas, & hominum respectus ad pœni-  
tentiam alliciunt: hæc resurrectio nil nisi  
resurrectionis habet speciem: & quemad-  
modum officiosa duntaxat est, sic & statim  
post Festa evanescit. Secunda nobis ex-  
primit plurimum aliorum Christianorum re-  
surrectionem ad gratiam. Hæc vera qui-  
dem est; sed imperfecta, cum hujusmodi  
homines resurgant, ut denuò labantur, &  
peccato, sed non nisi ad tempus renun-  
tiant: hæ sunt induciæ, quas cum peccato  
faciunt; neque tamen integra animi ab illis  
abalienatio. Si resurrectionem nostram  
perfectam esse velimus, necessarium est,  
ut ea similis Christi resurrectioni sit, qui  
resurrexit, non amplius moriturus. Quam  
procul abes ab hac perfectione; tu, qui to-  
ties relaberis, quoties pœnitentiam agis?  
toties fidem Deo datam violas, quoties il-  
lam renovas?

III. Tres sunt relapsuum nostrorum cau-  
sæ. 1a est, quòd non satis æstimemus  
gratiam, quam per pœnitentiam recupera-  
vimus. Si nobis persuaderemus, eam  
omni Christi sanguine stersisse, & proin-  
pre-

Aprilis.

2. cor. 4. 7.

pretij esse infiniti, nobisque jus tribuere minimè dubium possessionis Dei, & felicitatis aeternae, quanti non eam faceremus? quantà sollicitudinem, ei non amittendae, quantum studium eidem conservandae impenderemus? 2a relapsuum nostrorum causa est, quòd nimis temerè, gratiam amittendi periculo nos exponamus. *Habemus*, inquit Apostolus, *thesaurum istum in vasis fictilibus.* Cum igitur hoc thesauro onusti, unaque debiles simus, non committamus nos temerè vijs asperis, & difficilibus, in quibus nihil est proum magis, quam vestigio falli: & in quibus vestigio falli non possumus, quin in abyssum delabamur, & cum thesauro, quem nobiscum ferimus, pereamus. 3a Causa relapsuum nostrorum est, quòd gratiae ponere limites velimus. Hoc donum est nunquam orisum, sed semper agendi cupidum; ei proum limites praefigere, est ejus actionem impedire; ejus verò actionem impedire, idem est, ac ejus iacturam, & cum ejus iactura nostrum interitum desiderare. Limites gratiae ponere est Bonitati Dei erga me, & amoris meo erga ipsum limites ponere, utriusque infero injuriae; Reone, an mihi?

*Statue te à peccato plenè abalienare, nec inducijs contentus cum eo esse; divortium hoc perenne sit oportet:*

Chri-

Christus resurgens ex mortuis, jam non Aprilis,  
moritur; mors illi ultra non dominabitur.

Rom, 6. v. 9. v. 11.

Proh dolor! peccandi tempus, terminus  
recidendi facta est resurrectio Salvatoris,  
Bern. serm. in Pasch.

DIE OCTAVA PASCHATIS.  
De Vulneribus Christi Domini  
nostri.

I.

Quas ob causas Christus Dominus vul-  
nera sua etiam post suam resurrectio-  
nem retinere voluit? propterea, ut pecca-  
toribus confidentiae incitamento forent.  
S. Paulus asseverat, Christum vitam in Cae-  
lo gloriosam agentem, causam nostram a-  
pud Patrem indefinenter agere. Vulnera  
ipsius totidem quasi ora sunt, queis nostram  
causam loquatur. Christus, inquit sancto-  
rum Patrum quidam, latus suum transfi-  
xum, & vulnera nostri amore retenta Pa-  
tri suo ostendit. Haec clementiae ipsius  
erga nos monumenta benignitatem Patris  
efficaciter movent. Si peccata nostra vin-  
dictam in nos provocant, tunc Christi  
vulnera ipsius in nos misericordiam effica-

*Semper vi-  
vens ad im-  
terpellan-  
dum pro no-  
bis. Hebr. 7.  
25.*

G  
cius

Aprilis.

cius implorant. Vox vulnerum ipsius vocem scelerum nostrorum comprimit, vel inutilem reddit. Si Pater æternus iuste irritatus mihi minitatur, in cor Iesu meâ causâ vulnerati veluti tutum asylum me recipio: ubi telis ipsius non parebo. Percutere ibi me non potest, quin & cor filij sui transverberet. Quid igitur mihi timendum?

II. Christus vulnera sua in corpore glorioso retinere voluit, ut iustis perpetuò in eum grati animi motivum essent, quem admodum perenne ipsius in nos amoris monumentum sunt. Ex his ignominia signis facere signa gloriæ voluit, ut nobis indicaret, se honori sibi ducere pro nobis pati. Vulnera sua retinuit, veluti memnorynon, quod ei in mentem revocaret, quid pro nobis egerit, eumque ad plura infuper agenda alliceret, ut beneficia sua conservaret, & in honore haberet. Hæc vulnera continua sunt amoris ipsius testimonia; quæ proin amorem nostrum animare debent. Latus hoc apertum, cor hoc perforatum, nostrum pariter amoris divini vulnerere transfigere debet. Hæc vulnera sunt veluti fornaces, unde flammæ erumpunt, quæ totum Cælestem paradysum succendunt; nec dum tamen cor meum calidum red-

reddidère, sed inter hos ignes totum glacie Aprilis,  
obductum reliquère. An non rantum fri-  
gus tot inter flammæ prodigium est inau-  
ditum? hæc vulnera in memoriam nobis  
revocant, quid Christus pro nobis passus  
sit; an non excitare nos debent ad quid-  
vis pro ipso patiendum?

III. IESUS vulnera sua in corpore glo-  
rioso retinere voluit, ut in die iudicij re-  
probos confunderent, & ad desperationem  
adigerent, Christi que cum ipsis agendi  
rationem comprobarent, atque unâ con-  
demnarent illam, qua reprobi erga Chri-  
stum usi sunt, qui ut eorum Servator  
simul, & iudex comparebit. Is è vulne-  
ribus suis totidem quasi fulgura vibrabit,  
quæ solabuntur, & amore inflammabunt  
ex una parte prædestinatos, & ex altera  
reprobos terrebunt, & oppriment. Ecce!  
dicet ipsis, latus meum: id transfixum  
fuit pro vobis: potestisne ambigere de a-  
more meo? transfixum fuit à vobis; pos-  
súmne ego dubitare de ingrato vestro ani-  
mo? neque vos inficiari potestis, vos om-  
nis beneficij fuisse immemores. Aper-  
tum fuerat cor meum, ut vestrum esset a-  
sylum: vos verò eò intrare nolulistis: cum  
igitur per scelera vestra ultrò vos eo exclu-  
setis, vel inviti ex eo, simul & è Cælo,

Aprilis.

ad quod vos destinaveram, æternùm excludi eritis. Quantus hic fulminis ictus! An non duritia cordis tui timorem tibi incutit, ne tandem aliquando eo feriãre?


*Assuesce in timoribus, in calamitatibus, & tentationibus tuis in IESU vulnera, velut in locum quietis, & tutum asylum confugere.*

Affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.  
*Joan. 20. 27.*

Pater arcanum cordis per foramen corporis. *Bern. Serm. 61. in Cant.*



CON.



# CONSIDERATIONES CHRISTIANÆ.

*pro singulis Anni diebus.*

M A J U S.

DIES I.

De fine Hominis.

Felicitatem nostram invenimus,  
ubi Deo servimus.

I.



Pro Deo facti sumus. Ita-  
que felicitatem nostram  
non nisi in Deo invenie-  
mus. Quidquid sumus,  
ab ipso proficiscitur: æ-  
quum proin est, ut ipse

centrum sit omnium nostrorum motuum;  
qui suam quietem non nisi in ipso repe-  
riant. Deus supremæ suæ felicitatis sibi-  
met author est; & nostræ esse non possit?  
Cor hominis Deo sufficit, & Deus homi-  
ni non sufficiat? animam habemus boni in-

3

finiti

Majus.

finiti capacem, inquit S. Augustinus: Cuncta alia, quæ Deus non sunt, animam occupare possunt, distingere possunt, sed replere non possunt. Quocumque bono repleas, Domine, cor meum, si temetipsum mihi non dederis, vacuum manebit: nam quæcunque bona possideo, si Deum meum non possideo, verè indigus sum.

II. Etsi bona terrena non adeò vana, ac falsa forent, uti reapse sunt, satiare tamen nos non possent: facta ea sunt propter nos non item nos propter illa. Illa sunt limitata; cor nostrum infinitè capax est. Illa sunt fluxa, & anima nostra immortalis est; nec unquam interibit: nihil mortale saturare animam immortalem potest: omnia transibunt; sed tu, mi Deus, cum æternus, cum immutabilis sis, æternum subsistes. *Ipsi peribunt; tu autem permanes.* Et propterea nemo est, præter te, qui nos efficere verè beatos queat.

*Psal. 101  
v. 27. & 28.*

III. Salomon omnium hominum felicissimus habebatur. At sapientissimus fuit, dum fassus est, se denique perfectè beatum in terra non fuisse. Nullus unquam hominum tot, tantæque bona possedit, nec tot, tantisque voluptatibus gavisus est; & nihilominus contestatur, omnia nihil nisi vanitatem esse. Felix sanè fuisset, si  
vitam


vitam duxisset opinioni suæ congruam Majus.

Non rarò bona avidissimè desiderata possidere satis est, ut illorum nausea, & contempus concipiatur. Sæpè valdè ardentibus certorum quorundam bonorum desiderijs tenebaris. An uni saltem horum desideriorum factum satis est? Fuißtine tunc contentus? experientia vel sola ab hoc errore liberare nos deberet. Hæc id non rarò facit, quin cor nostrum mutet in melius. Et licèt sæpius de omnium vitæ bonorum inanitate convicti fuerimus, tam ardentè tamen ijs inhiamus, ac si solidissima forent. Quanta stulticia! hæc justa est pæna, mi Deus, quam illis infligis, qui suam extra te felicitatem quærunt.

*Interroga temetipsum, an bonum aliquod, quod possedisti, te unquam satiãrit; ac statue non amplius felicitatem tuam, nisi in Deo quærere; in quo solo eandem invenies.*


Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole; & Ecce, vniversa vanitas. *Eccli c. 1. v. 14.*

Omnis copia, quæ non est Deus meus, egestas est. *Aug.*



DIES

Majus,



## De Cura Salutis.

Salus unicum nostrum negotium  
est.

I.

**N**egotium salutis unicum nostrum est  
negotium: alia nugæ potiùs, quàm  
negotia censenda sunt. Hoc est unicum  
illud negotium, de quo Servator ait: *Porro  
unum est necessarium.* Necessarium non est,  
ut hæc pecunias, hanc voluptatem, hunc  
fundum, hoc officium habeas; sed neces-  
sarium est, ut salutem æternam conseque-  
ris. Si omnia hæc bona habeas, & ani-  
mam tuam perdas, omnia perdidisti. Si  
omnia hæc bona perdas, animam verò  
tuam serves, omnia lucratus es. Hoc u-  
nicum lucrum omnes jacturas compensat.  
Ergo unicum necessarium est? & tamen  
hoc est, quod unicè negligitur. Omnia  
reliqua seriò aguntur: pro omnibus inve-  
nitur tempus; nullum est præter salutis  
negotiũ, pro quo sollicitè non laboratur, pro  
quo tempus nõ invenitur. Quanta cæcitas!

II. Salus animæ nostræ unicum nostrum  
est negotium: quia non nisi unicam habe-  
mus; cùm itaque ejus jactura irreparabi-

lis

lis sit, eam perdendo omnia perdimus. Majus.

Omnia bona propter animam sunt: hæc ijs gaudere debet: idcirco, si anima mea perierit, omnia mihi bona cum illa periére. Non habeo, nisi unam animam; eam si perdo, jactura mea sarciri nequit. Habeo duo brachia, duos oculos: unum si amitto, is, qui superest, supplere alterum, & me de illius jactura solari potest. Sed quemadmodum non nisi unicum caput habeo, sic id perdendo, omnia perdo, quia vitam perdo. Ambitio eò me adigere potest, ut coronam mihi comparem, impendio unius brachij, non item capitis mei: *Non emo capite coronam.* Dicebat Tertullianus. Non habeo, nisi unicam animam. Ideo animæ meæ jacturâ omnes honores, omniâque mundi bona non emerem: hæc enim propter animam meam sunt creata. Ecquid enim illa mihi prodesse, si hæc foret perdita?

III. Hæc doctrina illo Servatoris axioma nititur: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur? & : Quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Anima tua juxta Servatoris sententiam majoris est pretij, quàm integer mundus. *Et hoc pretio mundum emere foret nimis*

Majus.

cardè emere. Et tu illam quotidie momentaneæ voluptatis amore in apertum discrimen adducis? Quanta dementia hanc in articulo mortis cognosces. Eri maximus, ditissimus, & felicissimus omnium hominum totius orbis fuisses, si salutem tuam neglexeris, tibimet ipsi dices quid prodest? damnati ipsi in inferno huius veritati adstipulantur: *Quid profuit nobis superbia?* quid nobis profuere dignitates divitiæ nostræ? stultitiam suam agnoscunt sed incassum, quia serò nimis. Cur igitur aliorum damno non sapias? attende tibi, ne decipiaris, & te poeniteat, cum nihil supererit malo remedium.

*Cum salutis negotium unicum nostrum sit negotium, ideo omnibus alijs præferri meretur. Negligentia nostra in omnibus alijs negotijs excusabilis esse potest; sed in hoc negotio veniam non meretur. Nulla res tanti nostrâ interest quanti ea, quæ huc refertur. Nihil est metuendum præter id, quod hinc nocere nobis potest.*

Quid prodest homini, si universum mundum lucretur; animæ verò suæ detrimentum patiatur? *Matt. 16.26.*

Summas partes salus, quæ summa est, occupet. jam non prima; sed sola. *Euch.*

DIES

## DIES III.

## De Peccato Mortali.

## I.

PECCATUM est malum Dei, & ipsius unicum malum. Si malum Dei est, summum igitur malum est; quia natura sua supremo bono oppositum est: & ego summum malum non extremè odisse, sed potiùs id supremum bonum meum constituere possim, sicuti facio, quotiescunque bonum aliquod creatum ultimum meum finem statuo? hoc est: quotiescunque peccatum lethiferum admitto: possèmine committere peccatum aliquod, si perpenderem, quòd per id Deus offendatur, & quanto perire offendatur, qui omnis generis beneficia in me contulit, qui ea singulis momentis in me confert, sempèrque majora conferet, nisi ego ipsemet illis ponerem obstaculum? vellèmine sic agere cum omnium hominum vilissimo, si ei aliqua ratione obstrictus essem? & si id facerem, an non meipsum ingrati animi arguerem? Ergòne solus sit Deus, cujus beneficijs ingratum esse me neutiquam pudeat? quænam

nam

*Majus.*

nam hujus ratio? an illa, quod infinitis nominibus ei obstringar?

*Sapient. II.*  
25.

II. Peccatum est unicum malum Dei, unicum, quod Deo è natura sua adversatur, & sibi Deum simul necessario adversarium habet. Is omnia mala tolerare, imò & amare potest, cum ipse eorum sit author: *Nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Potest insuper ea in bona convertere, potest ijs se subjicere, uti fecit, cum humanam naturam assumpsit. Potest esse pauper, miser, pati, & mori potest; sed peccatum non odisse non potest, nec illud tolerare, multò minùs illi obnoxius esse potest: ita, ut Deus esse cessaret, si id odisse cessare posset. At ego vellem, ut is peccatum meum vel odio non haberet vel id impunitum dimitteret: hoc est, Vellem, ut nec sanctus, nec justus, & quod hinc sequitur, nec Deus esset. Credidissimè tam horrendæ impietatis mereum esse, dum peccatum mortiferum committebam?

III. Peccatum est malum Dei, quia omnes perfectiones divinas aggreditur, & quantum in ipso est, destruit. Peccator supremam hanc Majestatem contemnit, eorum qua Seraphini in infimam nihili sui abyssum præ reverentia se immergunt. Peccator odit Bonitatem hanc  
in-

infinitam, in qua, amor, & felicitas om-  
 nium Sanctorum unice consistit; pro-  
 phanat sanctitatem Dei, dum eam, ut sic  
 loquar, cogit, ad serviendum sceleribus  
 suis. Eripit ei suum Dominium, inso-  
 lenter dicens: *Non serviam.* abutitur ip-  
 sius Omnipotentia, dum ejus concursum *Jerem. 2. 20.*  
 usurpat ad Deum ipsum offendendum.  
 Invertit ordinem sapientiæ hujus infinitæ  
 omnia gubernantis, dum in suam perni-  
 ciam utitur illis ipsis medijs, quæ ad salu-  
 tem consequendam ei suppeditavit. In-  
 juriam infert ipsius immensitati, dum co-  
 ram oculis adeo puris, & ut ita dicam,  
 in ejus sinu peccat. An hæc omnia pon-  
 deramus, dum peccatum lethiferum com-  
 mittimus? Credisne, te coram Deo excu-  
 satione dignum fore, si dixeris, te hæc  
 non cogitasse? quid enim cogitabas, dicit  
 tibi, si hoc non cogitabas? Heu me! Deus  
 hoc cogitat, æternum nos puniturus, quod  
 hoc non cogitaverimus.

*Cum nihil, præter peccatum, sit malum Dei,  
 etiam nihil, excepto peccato est, quod verè ma-  
 lum sit: igitur peccatum unicum time, vel sal-  
 tem nihil magis time.*

*Noli facere mala, & non te apprehen-  
 dent. Eccli. 7. 1.*

Majus.

Crudelis, & planè execranda malitia, quæ Dei potentiam, justitiam, & sapientiam perire desiderat. *Bern. serm. de Resur.*

## DIES IV.

## De Morte Peccatoris.

## I.

Quisnam in mortis articulo peccatoris erit status? quis timor? quæ perturbationes? quæ desideriorum, & cogitationum dissensio? Is modicam fidem habuit in vita; & magnam fortassis habebit in morte; sed, quæ illum perturbet, & cruciet. Habuit spem injustam pariter, & temerariam, cum viveret, & in morte desperationem magis adhuc injustam. Potuit habere charitatem, Deumque suum amare, cum viveret; & noluit. Vellet eum amare in morte, & non poterit. Fastidiet bona, voluptates, creaturas, quas Deo, & salutis suæ prætulit; affectum tamen erga illas non exuet. pudebit ipsum criminum suorum; nec tamen illorum pœnitebit; vel si pœnitebit, pœnitentia hæc erit coacta, quæ eum quidem afflictum, & infelicem, non tamen pœnitentem reddet. Hæc, Domine, justa est pœna, quam peccatori

catori infligis; dum ipsum in morte sibi Majus.  
met adversarium reddes, cum in vita sua  
tibi semper fuerit adversatus.

II. Peccator in morte torquebitur in-  
tuitu, & memoria præteritorum; tot gra-  
tiarum, quibus abusus est; quasque tunc  
temporis optabit, sed impetrare non po-  
terit; tot salutis obrinendæ mediolorum,  
quæ neglexit. Per ea toto vitæ tempore  
salutem æternam consequi facillimè pote-  
rat; sed eorum abusus ab ipso admissus ei  
salutem, ut obtentu impossibilem propo-  
net. Cruciabitur memoria omnium vo-  
luptatum, quæ tam vanæ, tam exiguæ,  
& tam breves fuere, & modò pœnas æter-  
nas ei accersent. Hæ ipsi tam jucundæ  
videbantur in vita, quàm ei horribiles  
tunc videbuntur? hæ, fuere ipsius deliciæ,  
tunc tormentum ipsius erunt. Quidquid  
ei fastidium, & timorem injecerat in vita,  
nimirum pœnitentia, erit ipsi desiderio-  
rum objectum, sed incassum. Omnia,  
quibus delectabatur, nimirum turpes, &  
sceleratæ voluptates eum cruciabunt, &  
ad desperationem adigent. Quanta mu-  
tatio! sed Eheu! mutabit opinionem suam,  
non item affectum.

III. Peccator crudeliùs adhuc torque-  
bitur timore futurorum. Is videt, sibi

Majus.

intra paucas horas è tempore migrandū ad æternitatem; scit, eam, si in gratia constitutus non sit, infinite sibi fore infelicem, & non tantum exploratum non habet, se in gratia esse, non tantum spiritus ei testimonium non reddit, se filium Dei, & Regni cœlestis hæredem esse, sed indicia ei suggerit clarissima reprobationis, ob peccatorum suorum multitudinem, & gravitatem, ob cordis sui duritiem, ob conscientie suæ perturbationes, & diffidentiam de Misericordia Dei, & desperationem de consequenda salute æterna, cui se immergit. Itaque eo in statu se deprehendit, qui terribilem simul imaginem, & anticipatam pœnam sibi proponet Inferni, ad quem citatis passibus properat. Eni quem finem sortiatur falsa peccatoris felicitas: paritne ea tibi invidiam, an horrorem?

*Interroga te metipsum, an mori velles morte peccatorum; si non vis; cur igitur eam vitam agere cupis, quam illi agunt, cum ea certissime ad hanc mortem te deducat?*

Mors peccatorum pessima. *Psal. 33. 22.*

Hac justissima animadversione punitur peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui vivus oblitus est Dei. *Aug.*

DIES

## DIES V.

## De Morte Justorum.

## I.

QUANTUM discrimen est inter mortem hominum proborum, & peccatorum? illud ipsum, quod in eorum vita inventum est. Vita peccatorum suavis vita est, & jucunda; eorum verò mors aspera, & terribilis est. Vita justorum vita austera, & inamœna; eorumque mors suavissima simul, & jucundissima. Quod peccatoribus in vita suavitatem attulit, in morte tormentum afferet. Quod justis in vita pœnam afferre visum est, in morte suavitatem, & solatium afferet. Mors peccatorum finem imponit bonis, & delicijs caducis, ut malis æternis eos immergat; mors justorum finem imponit malis temporaneis, ut eos ad bona, & delicias sempiternas evehat. Quàm inauditum discrimen in istorum invenitur termino! ad quemnam eorum pertingere mavis?

II. Opera justorum, & peccatorum eos post mortem comitantur; sed quemadmodum illa prorsus inter se diversa sunt, sic & eorum effectus penitus inter se discrepant.

H

pant.

Majus.

pant. Opera peccatorum eos sequuntur futura condemnationis eorum causa, & supplicij materia. Opera justorum sequuntur justos, futura ipsis justificationis causa, & remunerationis materia. Utrisque in morte Christi Cruci affixi proponitur imago. Sed unus in Judice videt adversarium suum, & adversarij factionem; cum alter in ipso agnoscat tum Reconciliatorem, tum Servatorem suum. Unus in eo spectat discrepantiam, quam cum divino hoc Archetypo habet, quo ipsi manifestum reprobationis signum, & desperationis suæ origo ostenditur; alter in amore, quo in Servatorem suum fertur, in consensione, quam cum divino hoc Archetypo habet, potens confidentiæ argumentum, & prædestinationis suæ pignus inveniet. Mors uni eripiet omnia, quæ amavit, ut eum sine spe separationis affligat omnibus, quæ formidat. Alterum separabit ab omnibus, quæ odit, vel contempnit, ut eum conjungat cum ijs, quæ amat, & optare potest.

III. Utram ex his mortem eligere vis? Nunc tempus est; dein amplius non erit. An non una horrorem tibi incutit? an non alterius desiderium te tenet, adeò, ut cum

Nam. 21.


Propheta exclames: *Moriatur anima mea*  
morte

morte justorum, & fiant novissima mea horum <sup>Majus</sup> similia. Hoc desiderium, nisi vitæ tuæ rationi consentiat, iniquum est. Si vis, ut mors tua in conspectu Domini pretiosa sit, vita tua hominibus præbeat virtutis exemplum; si vis, ut mors tua suavis, & sancta sit, in vita poenitentiae, & Christianæ pietatis operibus te impende. Vive ferventer, si mori cupis suaviter; vive semper in timore, si mori vis cum fiducia: fac in vita, quidquid in morte te fecisse velles: nec quidquam fac in vita, quod in morte fecisse nolles. Sic non habebis, quod timeas, tibi que exprobres.


*Statue vivere vitam justorum, ut mori aere morte te justorum.*

Timenti Dominum bene erit in extremis. *Eccli. c. 1. v. 13.*

Disces bene mori, si didiceris bene vivere. *Aug. de disciplina Christiana.*



Majus.



## DIES VI.

## De Judicio.

## De Manifestatione Criminum.

## I.

**I**N judicio terribilius nihil erit, quam criminum manifestatio. Tunc cogitationes, & intentiones occultissimæ luci exponantur; cuncta tenebrarum opera in luce magna apparebunt; *Ego revelabo pudenda tua, dicit Dominus.* Omnibus honorum titulis, omni venustate externa, omni simulatæ virtutis specie exurus, penitus nudus comparebis; infamiam tuam universo terrarum orbi monstrabo. Omne studium tuum erat videri, qualis non eras, & tamen esse te oportebat. Tunc supplicium tuum erit videri, qualis es; ac esse non decebat. Detegentur fallaciæ illius hominis, qui tantam simulabat probitatem; actiones ignavæ, & effæminatæ illius viri, qui de generositate sua tantopere gloriabatur; prostitutiones illius mulieris, quæ vitam agere tam probam videbatur. Detegentur iniqua illius hominis consilia, qui simulata virtute usus est in commodis  
sua

*Nahum 3.  
v. 5*

fua temporaria. Detegentur denique fal-  
sæ pietates veri illius hypocritæ. Majus.

II. Si sceleratum commercium alicujus  
fæminæ, quæ virtutis adeò studiosa vide-  
tur, quæ tam callidè honestatem simulat,  
si turpe hoc facinus, quod tam astutè ce-  
lat, & conscientiæ quoque arbitro aperire  
veretur, quod sibimet ipsi vellet esse igno-  
tum, innotesceret marito, qui tanti eam  
æstimat, tantique ipsius virtutem facit;  
quanta ejus verecundia foret, & despera-  
tio? si verò toti alicuj civitati patefieret,  
si constanti, & universali, optimaque exi-  
stimatione excideret, publicamque infamiam  
incurreret, probrum, & scandalum  
totius effecta Provinciæ, cui virtutis ex-  
emplum videbatur, ut ut parùm honesta-  
tis, vel etiam superbiæ haberet, possétne  
tantam perferre confusionem? an non  
mors ipsa minùs horroris tali personæ ha-  
bere videretur? & sanè mors non rarò  
ejusmodi infelicium triste refugium est;  
etsi infamiam longè minorem incurre-  
rint.

III. Quanta igitur confusio erit alicuj  
peccatori in die judicij, ubi totius orbis  
fiet spectaculum; ubi omnia ejus peccata,  
opera omnia coram toto mundo detegen-  
tur; ubi oculi omnium hominum, om-

*Majus.*

nium Angelorum , & ipsius Dei in eum  
 conijcientur. Ubi omnes secretissimas  
 conscientiaë ipsius latebras penetrabunt ;  
 ubi in ea legent cuncta ejus peccata peni-  
 tus execranda , quæ ibi scripta erunt cha-  
 racteribus claris æquè , ac indelebilibus ;  
 ubi tolerabit , vel potiùs obruetur iudicio,  
 quod omnes creaturæ de ipso ferent ; ubi  
 id cognoscer , & videbit , se non solùm ea-  
 rum contemptûs , sed & execrationis sco-  
 pum esse ; tam graviter ferimus , si ab u-  
 nico homine , quem æstimamus , & time-  
 mus , contemnamur : & quî opprobrium  
 hoc universale perferre poterimus ? atque  
 hanc ob causam peccatores sese occultatu-  
 ri optabunt , ut montes super ipsos cadant,  
 ut importunos hos oculos fugiant. Aspe-  
 ctum formidas unius folius hominis in  
 certis actionibus minùs honestis : hic ani-  
 mi tui impetum quantumcunque profliga-  
 tum contineret : & timor videndi infamias  
 tuas totius universi conspectui expositas ,  
 te non cohibeat ?

*Si demon, vel immoderatus animi motus te  
 incitant, & impellunt ad pudendum quoddam  
 facinus; ut ab eo te contineas, cogita id olim in  
 facie univèrsi detectum iri.*

Revelabo pudenda tua in facie tua, &  
 ostendam gentibus nuditatem tuam Na-  
 lum 3. 5. Plus

Plus de conscientia scelerum, quàm de Gehennæ erubescit incendio. *Basil.* Majus

---

DIES VII.  
De Verme Conscientiæ Dam-  
natorum.

I.

Conscientiæ Vermis tria complectitur, molestam recordationem præteriti, quod reparari non potest. Dolorem extremum de statu præsentis, quo quis extricare se non valet. Desperationem ob futura adhuc terribiora, quæ evitari non possunt. Ad præteritum quod attinet, tria damnatum affligent: memoria voluptatum præteritarum, quibus se privatam videt. Vir magni nominis, & in mundo felix, qui delicijs innatabat, ex momento ad inferorum barathrum detrusum, & in flammis ardentibus coniectum se deprehendit, quanta mutatio! is statum suum præsentem cum præterito comparat. Et hoc eò magis eum cruciat: nam recordatio bonorum præteritorum sensum malorum præsentium acriorem reddit: præsertim si in memoriam revocet, voluptates illas fuisse tam leves, & cruciatus suos tam vio-

**Majus.**

lentos esse, voluptates suas non nisi unicum momentum durasse, mala verò in omnem æternitatem duratura. Voluptas evanuit, dicit, & cruciatus, quem voluptas peperit, sempiternus erit. Heu me! ergone unius momenti voluptas æterno dolore, & pœnitundine expianda est?

II. Damnatus cruciabitur memoriâ gratiarum antehac sibi concessarum, queis fuit abusus; tot mediolorum ad salutem consequendam, quæ neglexit. Tam facile poterat, exprobrabit ipsi conscientia sua, hæc mala æterna declinare per veram pœnitentiam; ad hanc agendam interna inspiratio te animabat; nec gratia defuit, quam Deus sanguinis sui pretio tibi comparavit: penes te erat ijs uti: sed noluiti, cum potuisti, & per totam æternitatem voles, & non poteris. Unicum cordis contriti, & humiliati suspirium, unica sinceræ pœnitentiæ lacryma omnibus hisce malis occurrere poterat; jam verò pœnitundines æternæ, inexhausti lacrymarum torrentes illis te liberare non poterunt. Stimuli, & clamores mei tunc movere te non valuerunt; jam torquere te poterunt. Illi tunc ad salutem tuam clamabant, & eos non audiebas; clamabunt nunc ad supplicium tuum, & eos vel invitus audies.

Ve-

Verum, proh dolor! incassum. Cur nunc hisce conscientiae stimulis non attendimus, inquit S. Bernardus, nunc, cum utilissimi nobis esse possunt, nunc, cum eos & sentimus, & penitus extinguere possumus, materiam, qua conservantur, eis subtrahendo.

Majus.

*Optimum est  
nunc sentire  
vermem,  
cum potest  
suffocari.  
Bern de  
confid.*

III. Damnatus denique cruciabitur memoriâ peccatorum præteritorum. Quamdiu damnari anima durabit, inquit S. Bernardus, tamdiu etiam peccatorum durabit recordatio: sed quàm turpis, quàm horrenda recordatio! scelera ipsius præterijisse videntur, nec tamen præteriêre. Non quidem in seipsis amplius persistunt, persistunt tamen in suis effectibus; non persistunt amplius ad ipsum delectandum, persistunt tamen ad eum torquendum; & quemadmodum fieri nunquam poterit, ut hæc peccata non fuerint, sic fieri nunquam poterit, ut ea, si non fuerint ejurata, non æternùm persistant in suis effectibus. Impius in omnem æternitatem â peccato suo torquetur, quia in omnem æternitatem recordabitur, se id commisisse, neque tamen per pœnitentiam expiâsse. Voluptas illa impura, quæ tam jucunda ipsi videbatur, faciem suam penitus mutabit. Damnatus, cum viveret, in ea præcipuam

H 5

feli-

Majus,

felicitatem suam statuerat ; & per æternitatem summam ex ea habebit miseriam.

*Statue conscientie tuæ angores admittere nunc , cum tibi salutare esse possunt.*

Vermis eorum non morietur , & ignis eorum non extinguetur. *Isa. 66. 14.*

In æternum ergo necesse est te crucietur quod perperam te egisse in æternum memineras. *Bern. de Confid.*

## DIES VIII.

## De Cælesti Paradiso.

## I.

PARADISUS Cælestis grande bonum est , cum supra modum Sanctorum labores remuneretur , & tormenta Martyrum. *Ego ipse ero merces tua.* Dicebat Deus Abrahamo. Atque hæc merces omnia excedet , quæ ad eam promerendam præstare potes. Cruciatu nostri , quantumcumque magni sint , si & Sanctorum Martyrum tormenta æquarent , nullatenus remen , inquit Apostolus , promissam nobis mercedem æquare possent. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam , quæ revelabitur in nobis.* Imò filius Dei vult , ut consideratio , & spes felicitatis,

*Rom. 8.  
v. 18.*

eternis, quæ nos in Cælo manet, nos animet ad omnes pænas, & persecutiones, quæ nobis eveniunt, non tantum patienti, sed & læto, quin & exultante præ gaudijs animo perferendas. *Gaudete, & exultate.* Magnam sanè felicitatem hanc esse oportet; cum Servator noster, qui ejus pretium cognoscit, velit, ut in summis calamitatibus gaudeamus, idcirco, quòd hanc nobis felicitatem accersant.

II. Paradisus Cælestis grande bonum est, cum ad id nobis promerendum opus fuerit Dei ipsius sanguine; qui reapse dignum ejusdem pretium est. Pater æternus, qui filium suum infinite amat, Cælum ei, quatenus Redemptor est, dare noluit, nisi ad id obtinendum vitam suam offerret. Et filius, cui pretium illius perceptum erat, id non nimis caro emere sibi visus est; imò gaudio sibi duxit, quòd illud hoc pretio obtinuerit. Is est mercator ille, cujus ipse in Evangelio meminit, qui omnibus bonis ultrò se spoliat, ad pretiosam hanc gemmam sibi comparandam, seque felicissimum judicat, quòd eam hoc pretio impetrarit. Tanti Christo stetit hanc felicitatem nobis impetrare. Et nos eam nihilo obtinere volumus. Ipsius Crux quantumvis ponderosa fuerit, ei levis videbatur.

Majus

deba.

**Majus.**

*Proposito sibi  
gaudio susti-  
nuit crucem.  
Hebr, 12.*

debat, quod per eam ad beatum illum terminum pertingeret. Fide docemur, Crucem unicam esse viam, quæ eò nos ducat, quandoquidem Christus eam nobis sternere voluit. Et nihilominus eam timemus, & fugimus. An non viam, quæ ad hunc terminum perducit, ingredi nolle, idem est, ac nolle ad ipsum terminum pervenire?

*Quia solum-  
modo ibi ma-  
gnificus Do-  
minus Isai 33.*

III. Gloria Cælestis grande bonum est, cum sit extremus magnificentiæ divinæ conatus. Deus in omnibus alijs donis divitiis, & liberalitatem suam demonstrat, sed non nisi in cælo magnificus apparet, ait Propheta. Terra, mare, Cæli, sidera, & cuncta tam admiranda Dei opera ejus gloriam manifestant; verum solus Paradisus Cælestis magnificentiam ejus patefacit. Nusquã nisi in inferno Deus punit ut Deus, nusquam nisi in cælesti gloria remuneratur, ut Deus. Omnia alia mala dicuntur guttæ furoris Domini, infernus eorum diluvium est. Sic omnia alia Bona, quæ Deus nobis in hac vita impertit, non nisi guttæ sunt illius torrentis voluptatis, quibus Beatos inundabit. Hasce guttas servatis suis, ut ita dicam, effluere sinit, ut ipsis ostendat, quantas delicias in loco Beatitudinis sint inventuri; si in loco miseriæ tan-

*Furor Domini  
stillavit  
super nos,  
2. Paral.  
34. v. 21.*

tæ subinde dulcedines sentiantur. Si locus exilij tantas habeat amœnitates, quantæ habebuntur in patria? væ nobis, si hoc exilium patriæ nostræ præferamus. Miseriam nostram probè meremur, si tam cæci sumus, ut eam amemus.

*Statue nulli labori parcere ad promerendam felicitatem, quam Christus censuit non carè nimis à se emi, dum eam sanguine suo emit.*

Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rom. 8. 18.

Opus te terret; mercedem attende. Aug. Ser. 6.

---

DIES IX.

De Pœnitentiæ Necessitate.

I.

NON sunt, nisi duæ ad Cælum viæ, innocentia, & pœnitentia. Verùm quis eò se perventurum speret per innocentiam præter solos illos, qui per ætatem peccare non possunt? peccator salutem æternam non obtinet sine pœnitentia, sine mortificatione. Quid est peccator? inquit Tertullianus: est homo ad pœnitentiam, & mortificationem natus. Peccatorem

*Homo pœnitentia natus*

rem

Majus.

rem, vel poenitentia, vel infernus manes. Necessarium est, ut voluntarie ploret, & patiat in tempore, vel invitus ploret, & patiat in aeternitate. Si Evangelium verum est, medium teneri non potest. Elige ex his duobus, quod voles, dum eligere potes. Verum, quid hic haerendum? quid deliberandum?

II. Omne peccatum, inquit S. Augustinus, puniri debet vel à Deo vindice, vel ab homine poenitente. Utrum magis? An non satius est evitare justitiae divinae rigores, eos praevendo, vel potius, eos mitigare se ipsum eorum executores constituendo? si quis severae huic justitiae modicum hoc, quod nunc exigitur, non solvit, olim totum ei solvet, quod debet. Deus id, quod ipsius justitiae debetur, tibi committere cupit, modò illud bona fide, & animo in te suscipias. Quanta scunque pœnas à temetipso exegeris, semper tamen mitiores erunt ijs, quas omnipotens brachium tibi infliget: *Pœnitentia*, inquit Tertullianus, *pro Dei indignatione fungitur. & temporali afflictatione aeterna supplicia non frustrat, sed expungit.* Hæc tibi pœnas remittit aeternas, sed exigit à te pœnas temporaneas, Deus Creditor est falli nescius. Aurardiùs solvendum, quod, si non fit in  
tem-

tempore, in æternitate fier. At, si eò usque Majus expectes, cum usura debitum reposcet. Utrum commodius tibi videtur?

III. Pœnitentia hujus vitæ brevis est, quia cum vita, quæ longa non est, sortitur finem; levis est, quantumvis videatur aspera, si pœnis æternis, quas meriti fuimus, componatur. Denique fructuosa est. Unicum suspirium è contrito, & humiliato corde emissum iram Dei reddere inermem potest. Unica lacryma, quam sincera pœnitentia è nobis elicit, delere potest peccata omnia, quantumcunque gravia, & numerosa sint. Pœnitentia alterius vitæ, illa videlicet damnatorum diuturna est, quia æterna; magna est, quia aliqua ratione infinita; inutilis est, quia peccata non delet, nec peccatorem culpâ liberat. Ultram harum amplecti mavis? Oceanus lacrymarum, quem damnatus funder, eum non lavabit; cum nunc unica gutta te lavare, & peccata tua delere possit, & non plorabis?


*Cum pœnitentiam in hac, vel altera vita agere perquam sit necessarium, statue eam nunc agere, facilius namque ages, & utilius.*

Pœnitementini, & credite Evangelio. *Matth. 6. 1. 15.*

Nihil tam repugnat Deo, quam cor impenitens. *Hieron. Epist. 48.*

DIES

Majus.



## DIES X.

## De Detractione.

## I.

**F**acilius nihil est, quàm aliorum famam denigrare. Lingua, inquit S. Iacobus, inquietum est malum, nec in hominis esse potestate viderur, eam refrænare. Omnes animi commotiones cordis malignitati sociatæ ad obtrectationem incitant. Si quis odium fovet, obtrectatio medium certum est, neque adeò periculosum ulciscendi; ubi invidia accedit, obtrectatio eò venenator est: alterius gloria umbram obducit nostræ; itaque illam obscurare debemus. Qui superbia laborat, (& quis ea penitus immunis est?) æstimationem suam cum alienæ depressione reddere vult majorem; qui ingenio pollet, id per subtiles obtrectationes ostentare cupit. qui ingenio caret, eo se præditum esse aliorum damno, audientibus persuadere, suosque defectus celare saragit, alienos traducendo. Virtutes ipsæ videntur hujus vitij participes esse velle. Sunt aliqui, qui è perverso zelo, sine ullo horrore proximum suum denigrant, & è malo occulto, sub specie ei mendan

ej medendi , offensam publicam red- Majus  
dunt.

II. Si peccatum obrectationis commit-  
tere facile est , non minùs difficile est il-  
lud sarcire. Restitutio boni alieni diffi-  
cilis quidem est ; sed honoris restitutio dif-  
filiior. Potest quis honorem suum rueri,  
furtumque, & probrum suum occultare ,  
restitutione facta per tertium quendam ,  
virum prudentem , & arcani observan-  
tem. At non ita se res habet in restitutio-  
ne honoris; necessarium est, ut is, qui ma-  
lum fecit, id per seipsum sarciat. Verùm  
id sarcire ferè non potest, quin honorem  
proprium in discrimen vocet; cùm id præ-  
stare non possit, nisi palinodiam canendo,  
atque hanc canere vix potest, nisi fateatur,  
se hominem fuisse imprudentem, levem,  
mendacem, vel malevolum; poteritne  
homo, qui nec verbum retinere potest ,  
tantam sibi vim inferre? poteritne homo,  
qui tam parùm virtutis habet, tam difficile  
facere sacrificium? an non satius est hoc pec-  
catum vitare, quàm obligatum se videre ad  
famã alterius tantis impendijs sarcendam?

III. Verùm, etsi difficile sit honorem per  
obrectationem ablatum restituere, in no-  
stra tamen id potestate est, & omnino  
necessarium: si enim potestatem nostram

I

exce.

Majus,

excederet, ab hac obligatione liberi essemus. At hoc pessimum est, quòd, cum id præstare possimus, difficillimum tamen nobis accidat. Verùm deterius adhuc est, quòd præter summam hanc difficultatem tantæ sit obligationis, ut omnes cæli, terræque potentia eâ te eximere non possint. Ecclesia grandi potestate pollet; sed hac res solvendi potestatem non habet. Virtus Sacramentorum maxima est; eò tamen se non extendit, ut culpâ liberare te possit, nisi proximo tuo famam suam restituas, farciendo malum, quod ei detractio tua intulisti. An non habes, quod hac super re exprobrare tibi queas? anne injuriam ei illatam sarcire differes eò usque, dum procrastinatio tua illam irreparabilem, réque omni excusatione indignum reddiderit?

*Inquire in te ipsum, ut cognoscas, an non obrectationem aliquam admiseris, quæ te ad restituendum alteri honorem obliget? & statue, si hujusmodi obligationem in te deprehenderit, quantocyus satisfacere.*

Linguam autem nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena veneno mortifero. *Iac. 3. 8.*

Esuriendi libido terminum habet, detrahendi libido non habet. *Salvian.*

DIES



## DIES XI.

## De Intemperantia.

## I.

**I**ntemperantia, sive gula est inordinatus appetitus, quo quis in cibum, potumque fertur: contra temperantiam peccatur, vel cibos veritos comedendo, vel immoderate eos sumendo, vel lautioribus nimium inhiando, aut genio suo immoderate indulgendo. Oblectatio, quæ in ijs sumendis invenitur, medium quoddam est, & ea statuitur finis. Remedium est debilitatis nostræ, & ex eo fit illicium peccati, aut cupiditatis immoderatæ fomes. Comedere oportet servandæ vitæ gratiâ: & tamen homines inveniuntur, qui non alium in finem videntur vivere, quam ut comedant. Necessitas, & ratio cibi, potusque sumendi regula esse debent; sed à necessitate ad superflua, à superfluis ad immoderationem transitur, rationis limites exceduntur; cibus, & potus vel ad eam debilitandam, vel penitus etiam illius usum opprimendum usurpantur; & per illa ipsa, quæ ad conservandam corporis vitam

Majus.

fuere facta, mors animæ accersitur. Quanta perversitas? Ratio cupiditatem hanc refrænare deberet; & nihilominus homo solus, qui ea præditus est, à gula se abripi finit. Bestia rationis expers id facere non potest, neque tamen necessitatis limites transgreditur.

Quorum

Deus venter  
est, Philip. 3.

II. Ab intemperantia vinci se finire est, juxta Apostoli effatum, ventrem suum Deum sibi statuerere. Qualis divinitas? nihilominus non solum homines rationis compotes, sed & Christiani non tantum bonam, & sanitatem suam, sed & rationem, conscientiam, & salutem suam quotidie eidem immolant: infelices imitatores gulæ Esavianæ, qui Natalium prærogativam pro paucis lentibus vendidit. Intemperantia fuit primum hominis peccatum, & omnium malorum nostrorum origo. Fructus ille fatalis, quem Adamus contra Dei prohibitionem comedit, venenum suum in totam ejus posteritatem diffudit, omnibusque ejus filijs fatalem ictum impexit. Intemperantia est etiamnum quotidie multorum scelerum origo. Libido, jurgia, & iracundiæ impetus sunt ordinarij ejus partus. Israëlita evaserunt idololatræ, quia intemperantes fuere, & ubi ventrem suum sibi Deum fecere, Deum sibi

sibi è vitulo aureo conflagrè. *Attendite Majus.*

vobis, inquit Christus Dominus, *ne graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, ne superveniat in vos repentina dies illa.* In quocunque alio peccato mors improvisa te invaserit, pœnitentia, quam etiam tunc agere poteris, effectus peccatum illud sequi solitos, inhibere potest. At verò intemperantia in eum statum deijcit hominem, in quo pœnitentiæ est incapax.

*Luc. 21.  
v. 34.*

III. Vindictæ, quas Deus de peccato intemperantiæ sumpsit, sat indicant, quanto per illud abominetur; diluvium malorum, quod post sex annorum millia orbem inundavit, effectus, & pœna intemperantiæ Adami est. Quî fieri potest, ut peccatum hoc non horreamus, quod nobis tam fatale fuit? intemperantia Israëlitarum cum manna fastidisset, eosque ad carnes deposcendas impulisset, causa fuit, ut, cum adhuc escæ eorum, inquit Propheta, erant in ore ipsorum, ira Dei ascenderet super eos. Intemperantia eorundem Israelitarum, & subsequens idololatria non nisi trigintatium millium horum infelicium cæde expiari potuit. At pœnæ, quas huic vitio Deus in altera vita servavit, longè terribiliores sunt. Immoderatæ lautitiæ divitis illius Epulonis in inferno fame, sitique æterna

*Psal. 77.31*

Majus

puniuntur, negata quoque ei aquæ guttula ad eam mitigandam. Hoc pretio tam exiguam voluptatem emere, an non est nimis caro emere?

*Noli credere, te ab hoc vitio penitus immunem esse, idcirco, quod intemperantia immodica tibi displiceat. An non hic peccas vel nimium lauris, vel melius conditis cibis inhiando?*

Quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum. *Philipp. 3, 19.*

Nihil gulâ perniciosius! hæc carnalem animam reddit, hæc cæcat intellectum, *Chrysost. Hom. 44.*

## DIES XII.

## De Malo Exemplo.

I.

UNICA scintilla neglecta, cujus suffocandæ cura non fuit habita, magnam quandoque civitatem incendio delevit. risus modicus, unicus contuitus minus honestus, verbum unicum, quod in deteriorem partem accipi potest, unica nuditas periculosa, unicum exemplum pravum aliquoties innocentem animum inflammat igni, qui restingui non potest. Patres, & Matres, qui liberis vestris malum præbetis

tis

is exemplum, quantam Deo rationem Majus 4  
reddere vos oportebit? crudeles eorum,  
quos genuistis, interfectores; quibus, ut  
videtur, vitam corporis non dedistis, nisi  
ut eis vitam animæ eriperetis. Sed quan-  
tam Optimates præsertim hac in re me-  
tuendi causam habent? malum Principis  
alicujus exemplum effectus habet, qui ali-  
quoties nec Principatu, nec vitâ ipsius  
terminantur. Peccata potentiorum de-  
licta sunt originaria, quæ infelici quadam  
fecunditate augentur, & funesta immor-  
talitate propagantur. Sæpè non est in ip-  
sorum potestate, qui horum malorum cau-  
sa sunt, ea coercere, vel emendare. At  
excusabuntne eos coram Deo hæc impossi-  
bilitas, quæ prævideri potuit, & evitari  
debit.

II. Qui mercaturam facit, licet eam  
exercendo nihil agere, sed animi relaxa-  
tiones sectari videatur, ad amplas tamen  
opes pervenit, idcirco, quod præfectos ha-  
beat rei gerendæ gnaros, & vigilantes, qui  
ipsius loco laborant, & ad ipsius emolu-  
mentum negociantur. Eheu! Princeps  
aliquis, Magistratus, Paterfamilias, He-  
rus, non raro, etsi non cogitent, iræ divi-  
næ thesauros colligunt, qui præter ipso-  
rum opinionem in ipsos se exonerant: si-

Majus.

quidem peccata hujus subditi, filij, famulique, quos ipsi sive exemplo, sive connivencia sua ad peccandum induxere, ipsis imputabuntur; & proin etiam velut scelerum istorum rei Deo rationem reddere cogentur. Terribile est, quòd funestum hunc peccatorum thesaurum etiam tunc colligant, cum ipsi nihil mali, imò etiam bene agere videntur. Sed, quod magis horrendum, illum nec post mortem colligere cessant. Et talis piacularibus, aut æternis addictus ignibus etiamnum in terris peccat eorum operâ, quos suo exemplo pravo ad peccatû induxit: hi in ipsius præjudicium peccant; & fortassis experitur pœnas suas duplicari ea ratione, qua illorum crimina duplicantur.

III. An non sufficiunt peccata propria ad nos opprimendos, licet nos peccatis alienis non oneremus? Iob asseverat, quòd, si Deus severam rationem exigere vellet peccatorum à se commissorum, è millibus de unico vix purgare se posset. Quid igitur fiet, ubi peccator rationem reddere debet peccatorû alienorum, & omnium illorum, quorum ipse causa, vel occasio fuit? Heu me! quis est hominum, quantumcumque probus esse videatur, qui nihil horum sibi exprobrare, nec exclamare cum Propheta

pheta teneatur : Domine , ab alienis parce ser-  
vo tuo ? quid ergo fiet de vulgatæ nequitia  
homine ? Peccata propria , mi Domine  
ob suam multitudinem , & gravitatem sat  
mihi terroris incutiunt ; quid fiet , si de a-  
lienis quoque respondere cogar ? de quibus  
mihi non constat , quia ignorare ea volui,  
vel saltem in eorum cognitionem venire  
neglexi , veritus , ne ea impedire tenerer ;  
& quorum ignorantia me non excusat ,  
quod ea non ab imbecillitate , sed à fcor-  
dia , vel malitia mea profecta sit ?

*Non satis tibi sit ad pœnitentiam accessuro ,  
de proprijs delictis te examinare , sed etiam in  
aliena inquire , quorum tuo exemplo vel causa ,  
vel occasio fuisti.*

Non ponatis offendiculum fratri , vel  
scandalum. Rom. 14. 13.

Exempla fiunt , quæ facinora esse desti-  
terant. Cypr.

---

## DIES XIII.

### De Fuga Occasionum.

#### I.

**O**ccasio semper timenda est , sive ea quæ-  
ratur , sive non quærat. Viri Sanctissi-  
mi trepidârunt , si ipsos vel casus , vel neces-

Majus.

tas, vel dæmonis malitia in eam coniecere. Hi rem animi sui magnitudine nō indignā credidēre, ad aspectum alicujus periculi expalescere, ubi de re tanti momenti, quanti est animæ, Deique jacturā facere, agebatur. Sed longè magis metuenda est occasio, ubi ea quæritur. David eam non quæsierat, & nihilominus forma aliqua periculosa nec cogitanti, nec desideranti in oculos fortè inciderat: & hæc licet esset satis remota, virum tam sanctum pervertit. Quid igitur non timendum juvenibus, quorum animi motio vehementissima, virtus imbecillima, cor tenerum, vel corruptum, sensus vivacissimi, & minimè domiti sunt, ubi sectantur objecta in seipsis valdè periculosa, & periculosiora ob inclinationem, qua in illa feruntur? quid hinc expectandum, nisi funestus lapsus?

II. Homo peccandi occasionem non quærit, nisi quia oblectationem in ea invenit; nec eam invenit, nisi quia addictus est objectis, quæ in peccato experitur. Amor, quo in hæc objecta fertur, ipsius cupiditates roborat, eaque in ipsius animum potentiora reddit, & quod consequens est, ad se ab ijs defendendum imbecilliores efficit. An non igitur ipsi exploratū est, se interiturum in occasione, cui se committit, ut succum-

succumbat? satis virium si non habet ad Majus, resistendum propensione, qua in occasionem peccandi abripitur, quomodo, cum in occasione versatur, inclinationi eum ad ipsummet peccatum incitanti resistet, cum eum omnibus illicitis voluptatis, quæ in peccato inveniuntur, aggredietur? si firmus in suprema præcipitij crepidine, cum nihil eum impelleret, stare non potuit, quomodo in declivitate ab objectis præsentibus tractus, & animi sui motionibus impulsus tenere se poterit?

III. Fugiamus itaque peccandi occasionem, si peccatum ipsum vitare volumus. Non addamus vires nostris hostibus jam antè nimum potentibus, in occasiones nos conijciendo; jam soli solis impares eramus: quid fiet, si per occasiones magis roborentur? Non suppeditemus eis contra nos arma. Viri sanctissimi, quantumvis fortes, & generosi; salutis suæ, nisi fuga, consulere posse, sibi visi non fuere: eorum timor, & præcautio omnes eis vires addidere. Si Iosephus non fugisset, absque dubio succubisset. Heroës Christiani sancto quodam terrore percelli visi sunt ad aspectum periculorum, in quæ vel charitas, vel Zelus eos immiserat. Et non æquè debiles, ac temerarij securi erimus in occasione.

sio.

Majus.

tionibus, in quas animi imperus, & in oblectamenta corporis proclivitas, non autem vera charitas nos præcipitârunt? Quemnam finem, nisi funestum lapsum inconsulta securitas fortiri poterit?

*Statue peccandi occasionem vitare, si vitare peccatum cupis.*

Qui amat periculum, in eo peribit.  
*Eccli. 3. 27.*

Joseph fugâ usus est pro armis. *Ambros.*

## DIES XIV.

## De Frequenti Confessione.

I.

Quomodo vel unicum diem in peccato hæere potes, cum eo te liberare per Confessionem possis, si cogites, te odij, & iræ divinæ, hoc est, odij infiniti, & iræ omnipotentis scopum esse. Si ea omnipotens est, resistere ei nihil potest; & tu terræ vermiculus eam sustinere poteris? si est omnipotens, nemo eam evadere potest; & tu eam te evasurum arbitraris? non est bonum irritare Reges, inquit adagium, quia longas habent manus; cum tamen ultra Regni terminos se non extendant. Verùm Deus longissimas habet, queis

queis uniuersa orbis machina limites pone- Majus,  
re non valet: *Quò ibo à spiritu tuo? inquebar*  
*David, & quò à facie tua fugiam? si ascen-* P/al. 13,  
*dero in Cælum, tu illic es; si descendero in infer-*  
*num, ades.* Si hæc ira omnipotens est,  
tunc in immensum, & æternitatem usque  
extendere vindictam suam potest: & ego  
eam non formidem? mitigare non sata-  
gam, cum tam facile possim? plus enim  
necessarium non est, quàm delictum meum  
confiteri, ad ejus veniam obtinendam.

II. Si quis tibi diceret, Regem summè  
à te offensum se ostendere, & furiosum in  
modum tibi iratum, potentia, justitiæque  
suæ exemplum in te statuere, arque vin-  
dictas potentia suæ pares à te exigere de-  
creuisse, quantus terror, & pavor te inva-  
deret? possesne vel ad momentum tran-  
quillus vivere? an non reconciliatores  
quæreret, qui tibi ab eo gratiam denuò  
impetrarent? si scires diem aliquam, qua  
illum tibi reddere propitium posses; an non  
ea sollicitè uteretur? si quis tibi certum sug-  
gereret medium rem hanc ad felicem exi-  
tum perducendi, an id negligeres, quan-  
tumvis molestum, & superbiæ tuæ difficile  
id foret? & tamen ille, sicuti tu, homo  
duntaxat est, qui ultra tuam, suamque vi-  
tam vindictas extendere non potest: Tu

in-

Majus

interea prompta fuga illius iræ subtrahere te vales.

III. Non ignoras, te, cum peccato mortali obnoxius es, Dei inimicum, odij, iræque divinæ scopum esse; qui igitur hoc pondus sustinere, & vel ad momentum in hoc statu hæere potes? cur illius effectus, qui nihilo minores sunt, quam æterna miseria, non formidas? & nihilominus in hoc statu non ad momentum, nec dies solum, sed annos integros perseveras, haud ignarus, suppetere media, Deum mitigandi, tuta non minus, quam facilia; cum aliud non requiratur, quam peccata tua sacerdoti detegere, ut eorum veniam obtineas, teque reum ostendere, ut in justorum numerum coopteris; cum scias, Deum ipsum hæc tibi media offerre, qui te ad ea usurpanda invitat, atque adeò ad te rogandum, ut ijs utaris, se demittit. Et deliberas, an his medijs uti velis, & de annis in annos ea adhibere tergiversaris, ut te reconcilies cum inimico adeò formidando, teque ab effectibus iræ omnipotentis tuearis? Quis unquam hanc agendi rationem comprehendat? sic verò agunt omnes illi, qui, cum habeant conscientiam peccato lethifero fædatam, ad pœnitentiæ sacramentum accedere cunctantur. An non & tu ex illorum numero es?

*Obsecramus  
pro Christo  
reconcilia-  
mini Deo.  
2. Cor. 5.*

Sta-

Statue, simul ac sentis conscientiam tuam <sup>Majus</sup>  
gravi delicto oneratam, eam per Confessionis  
Sacramentum exonerare.

Dixi: Confitebor adversum me injusti-  
tiam meam Domino; & tu remisisti in-  
pietatem peccati mei. *Psal. 31. 5.*

Qui confiteretur peccata sua, jam cum  
Deo facit. *Aug. in Ioan.*

---

DIES XV.

De Frequenti Communione.

I.

**A**DEpulum Eucharisticum frequenter ac-  
cedere nos oportet; quia Christus ad  
id nos invitat: *Venite ad me omnes, qui la-  
boratis, & onerati estis mole miseriarum, &  
imbecillitatum vestrarum; & ego reficiam  
vos.* Imbecillitates istæ obstaculo tibi non  
sunt; modò tibi displiceant. Christus  
Dominus ad divinum hoc convivium invi-  
tat etiam infirmos, cæcos, & claudos; ut  
ostendat, idcirco neminem excludi, quòd  
perfecta sanitate non gaudeat. Instituit  
hoc Sacramentum in modum alimenti, ut  
ostenderet, animam nostram non magis  
hoc cibo spirituali, quàm Corpus nostrum  
cibo corporeo carere posse. Præbet no-  
bis

Majus

bis Corpus suum sub speciebus panis, quæ alimentum est usitatissimum, & quotidianum; cum alia alimenta, non item hoc variari soleant. Eapropter Panis Eucharisticus panis quotidianus appellatur. præterea grandia bona pollicetur ijs, qui hoc Sacramentum frequentant, & graves pœnas illis minatur, qui eidem se subducunt. Denique nullos sacerdotum potestati præfigit limites ad hoc Sacramentum conficiendum, nec tempus fidelibus ad illud accedendi. Possêtne meliùs nobis demonstrare desiderium, quo ardet, ut ad hæc sacras epulas crebrò accedamus.

II. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum frequenter sumere debemus, propterea, quòd Ecclesia id à nobis contendat. Hæc nobis mentem suam declarat per unanimum consensum SS. Patrum, qui illius interpretes sunt. Si Eucharistia, inquit S. Ambrosius, panis est quotidianus, cur integros annos ab ea sumenda abstinens? cur ad eam non quotidie accedis, quæ prodesse tibi quotidie potest? Præposterum est, si quid aliud, inquit S. Chrysostomus, credere, præcipuam ad divinum Epulum dispositionem esse magnum inter sacras Communiones temporis intervallum. Pascha nobis semper agitur,

fa

si necessariam conscientiae puritatem habeamus. Potestne Ecclesia voluntatem suam efficacius, & clarius nobis testari, quam, dum per Concilium Tridentinum filios suos per viscera charitatis Iesu Christi obtestatur, ut sanctissimum hoc Sacramentum venerentur, saepius ad id accedendo, unaque asseverat, se ardentem desiderare, ut omnes, qui divinis hisce mysterijs assistunt, eorundem per S. Eucharistiae sumptionem participes se reddant. Eisdem animi sensus Ecclesia primis Christianis inspiravit, & quamdiu ejus filij SSmam hanc praxin retinuerunt, verè sancti fuerunt.

III. Ad Sacram Synaxin frequenter accedendum, quia propria utilitas ad id nos urget. Quanta hominis est imprudentia! Deus ipsi vetat sub pæna mortis, ne de fructu arboris scientiae boni, & mali comedat: ipse nihilominus ex ea comedere cupit; Deus ei sub pæna mortis præcipit, ut hoc pane vitae vescatur; ipse tamen eo vesci recusat, licet tantum inde utilitatis capiat. In alijs Sacramentis accipit gratiam; in hoc gratiarum fontem, & auctorem, qui ad ipsum non venit, nisi ut eam ei copiosè conferat, semetipsum ei donando: atque hanc ei roties confert, quoties

K

ob-

Majus.

obstaculum illi non ponit, unaque pretium sanguinis sui, & virtutem meritorum suorum applicat, seque eidem uniendo spiritum suum impertit. Quanta utilitas? verum, quanta miseria, vel caecitas, eo se voluntarie privare, dum ad sacram Eucharistiam accedere renuit?

*Ne dicas, te ad sacram hanc mensam accedere nolle, quod ea sis indignus, sed conare te dignum reddere, ut saepius ad eam accedere possis.*

Nisi manducaveritis carnem filij hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Io. 6. 54.*

Non est audacia, saepe accedere, sed indignè, vel semel. *S. Chrysostomus.*

## DIES XVI.

## De Remissione Injuriarum.

## I.

**H**omo, qui injurias remittere non vult, de peccatorum suorum venia, & quod inde sequitur, de salute aeterna obtinenda desperet, necesse est. Is solus impune vindicare se potest, qui non habet, quod Deus sibi ignoscat. Sed ubi est ille homo? nos, cum peccatores simus, remedium non habemus, nisi in Dei misericordia, salute  
rem

rem nostram in tuto collocandi. Hæc solidū  
fiduciæ nostræ fundamentum est. Verūm  
quī misericordiam sperare possum, nisi  
eandem alijs quoque impertiam? tu Do-  
mine, illam mihi non nisi hac conditione  
promisisti: & quis ego sine misericordia  
tua sum, nisi miser, & reprobatus? *Dimittite*,  
*dixisti, & dimittetur vobis.* Cælum ni-  
si per misericordiæ portam intrare non pos-  
sum. Et hanc mihi occludo, si eam fra-  
tri meo denego. ane maximus meus in-  
imicus gravius mihi malum inferre cupit?

II. Vindictæ cupidus omnia etiam effi-  
cacissima salutis consequendæ media sibi  
inutilia reddit, seipsum è Sanctorum com-  
munionem excludit, nullæ amplius oratio-  
nes, nullum ei Sacramentum, sacrificium  
ei nullum quidquam prodest. Remedia  
saluberrima ei funesta sunt: orare non po-  
test, quin seipsum condemnet; imò ejus  
oratio in horrendam imprecationem dege-  
nerat; ne os quidem aperit, quin à Deo  
sui condemnationem exigat. Quænam  
hæc oratio? à Deo delictorum suorum ve-  
niam petit, hac sibi lege imposita, quod  
& ipse fratribus suis injuriarum remissio-  
nem impertire velit; at ignoscere ipsis non  
vult. Hoc idem est, ac non solum con-  
sentire, verūm & à Deo petere, ut sibi

Majus.

nunquam ignoscat, ut odio se prosequatur, ut se perdat, ut se pænis sempiternis addicat; potestne ipsius hostis, atque ipse etiam diabolus plus ei mali inferre, vel imprecari, quàm ipse sibimet inferat, sibimet imprecetur? an non hujusmodi hominem à vindictæ cupiditate excæcarum esse oportet, qui eò malitiæ delabitur? hoc sanè non animi commotio, sed amentia, & furor est.

III. Non est ullum sacrificium, ex quo vindictæ cupidus fructum capiat. Christus ipse talem velut anathemate percussum repellit: *Vade prius reconciliari fratri tuo.* Sanguis, quem Christus quotidie in aris nostris offert, ubi sacerdotis, & victimæ munere fungitur, etsi virtutis sit infinitæ, sufficiens non est ad obtinendam veniam homini, qui eam fratri suo negat; sed neque curæ ipsi est, illam obtinere, quia eam non desiderat. E contrario sanguis infantis hujus Abelis vindictam implorat adversus sanguinarium hunc Cainum, qui nihil nisi vindictam spirat. Neque plus auxiliij in sanctissimis Sacramentis inveniet, qui ad vindictam pronus est: Omnis virtus meritorum Christi, omnis vis gratiarum hisce remedijs contentarum mereri non possunt, nec salutem afferre cordi  
homi-

hominis vindictam spirantis, nisi ejus du- Majus.  
rities erga fratrem suum emolliatur. Gra-  
tiam accipiet nunquam, nisi gratiam pro-  
ximo suo faciat. Absolutio quoque,  
quam ei sacerdos impertit, ipsi in senten-  
tiam condemnationis erit, nisi eam sincera  
cum inimico suo reconciliatio præcesserit.

*Scrutare animum tuum, ut cognoscas, an non  
aversionem ab aliquo foveas, & injuriæ tibi il-  
latae memoriam; & religioni tibi duc, oratio-  
nem, quam Christus ipse nos docuit, recitare,  
priusquam ignoveris.*

Beati misericordes, quoniam ipsi mise-  
ricordiam consequentur. *Matt. 5. 7.*

Qui fratri negat indulgentiam, sibi pa-  
riter negat. *S. Leo.*

---

## DIES XVII.

### De Cognitione sui ipsius.

#### I.

**N**ihil majoris est momenti, quàm se ip-  
sum cognoscere. Humilitas funda-  
mentum est perfectionis; & sui ipsius cog-  
nitio fundamentum est humilitatis. Su-  
perbi sumus, quia nos ipsos non cognosci-  
mus. Si reliqua omnia sciam; me ipsum  
verò ignorem, idem est, ac si nihil sciam.

K 3

Si

Majus

Si omnia alia nesciam, sed meipsum cognoscam, multum scio. Quid mihi utilitatis affertur, si noverim causas, & effectus omnium, quæ in universo maximè admiranda sunt, & ignorem, quid in animo meo geratur? Universi administratio mihi non incumbit; sed animæ meæ cura incumbit mihi: omnes proin ejus motus observare teneor, ut eos è rationis regula componam. Mei ipsius cognitio regia est ad Deum cognoscendum via. Me ipsum cognoscere non possum, nisi meum nihilum, miseriam, meamque à Deo dependentiam cognoscam. Et hæc omnia cognoscere non possum, nisi cognoscam Dei existentis naturam, supremum, ac plenum ejusdem Dominium, cui me nec ad momentum subtrahere possum: utinam Domine, aiebat S. Augustinus, noverim me! noverim te!

II. Cum aliquo homine diu vivere non possumus, quin eum cognoscamus, ut ut parùm eum observamus. Et tamen etsi longo jam tempore nobiscum vivamus, nos ipsos non novimus. Meliùs dixerim, etsi à nobis separare nos non possimus, à nobis tamen exulamus, quia nunquam nos colligimus perpetuò ad externa effusi: imò studio à nobis ipsis recedimus. Tantùm abest,

est, ut in nos inquiramus, ut una è præci- *Majus*  
pulis nostris curis sit, nobismetipsis nos te-  
gere, nosque ignorare. Socordia non  
minima hujus ignorantiae causa est: stu-  
dium conscientiae explorandae laboriosum  
est, ideo labori parcere cupimus. Su-  
perbia verò præcipua hujus ignorantiae est  
origo: cognitio nostri ipsorum modestos  
nos redderet: nam si in nos ipsos redire-  
mus, multas miseras, & imbecillitates  
inveniremus. Idcirco, quia isthæc cog-  
nitio arrogantiae nostrae non congruit, vi-  
tandam eam judicamus. Malumus cæci,  
& superbi, quàm cum nostri despicientia  
perspicaces esse.

III. Amor nostri ipsorum potissima hu-  
jus ignorantiae causa est; miseras, & im-  
becillitates nostras amamus, immoderatis  
nostris propensionibus oblectamur. At-  
que hæc oblectatio in nobis extinguit fe-  
rium ijs nos expediendi desiderium. Cæ-  
terùm, si in nos ipsos descenderemus, &  
omnes cordis nostri motus, & inordinatio-  
nes examinarem, fieri vix posset, quin  
caperemus, quàm turpe sit, earum effectus  
non formidare, & eisdem medendi neces-  
sitate non agnoscere. Ad hoc verò ten-  
tandum animo generoso, & ad exequen-  
dum insigni sui ipsius victoriâ opus esset.


Majus.

Superbia, amor sui, & desidia hujc desiderio obicem ponunt. Medium, quo homo vanus, & ignavus hæc obstacula superare statuat, non invenitur, præter te, Domine, qui solus me contra imbecillitatem, & ignaviam meam firmare potes. Monstra itaque mihi meipsum, ut me, & miseras meas eadem mentis acie perspiciam, qua tu eas perspicis. Sed inspira quoque mihi earundem horrorem, & abijs me libera. Vel potius; dum mihi illas monstras, relinque mihi, quidquid deprimere me potest; ita tamen, ut tibi non displiceam, nec animum abijciam: nullum remedium nimis efficax est malo insanabili, quale est superbia, curando.

*Statue tibi met ipsi studiosè, & assidue attendere, tuique ipsius cognitionem omnibus alijs scientijs præhabere.*

Universa vanitas est omnis homo vivens. Psal. 38. 6.

Noverim me! noverim te! Aug.



**DIES**



**Majus***Oratio ejus  
fiat ei in pec-  
catum p sal.  
108.*

malo, quod est peccatum, liberari, & ipse in eo perseverare cupit. Quam inaudita secum ipso discordia! quanta damnationis causa!

II. Oratio nostra effectum suum non habet, quia non petimus, quod petere nos oportet: non exaudimur, inquit S. Augustinus, nisi quatenus in nomine Servatoris petimus: at in nomine Servatoris petere non possumus id, quod saluti nostrae adversatur. Petis à Deo, ut in hac lite forensi, quamvis injusta, superior abeas: an non hoc est novum scelus parrare, cum Deum complicem, & ministrum injustitiæ tuæ reddere cupis? petis à Deo sanitatem, & bona, quæ ipse prævidet saluti tuæ obstitura, ob immoderatum, quo in ea raperis, desiderium, ob abusum, quo ea tractabis: hæc tibi non gratiæ, sed supplicia forent. Deus te exaudit, dum ea negat. Tu quidem bona petere tibi videris, cum tamen illa tibi sint futura mala; privatio verò eorum in maximum tibi bonum fit cessura. Deus non tua verba, sed desideria exaudit. Opras felix esse, hæc bona desiderata, ad quæ aspiras, scelera tum te, & quod consequens est, infelicem redderent. Ah! Domine, nega mihi, quidquid saluti meæ adversum petiero, & in hoc exaudiri cupio.

III. Oratio

III. Oratio nostra effectum suum non Majus.  
habet, quia non petimus, sicut oportet :  
non exaudiris, inquit S. Iacobus, quia male  
oras. Oratio tua conditionibus neces-  
sarijs destituta est, quæ eam efficacem red-  
dant. Oras absque attentione; & cur vis,  
ut Deus te intelligat, cum nec ipse te in-  
telligas? oras absque reverentia, & ip-  
sas tuas preces peccatum facis. An exau-  
diri mereris à Deo, dum eum orando of-  
fendis? oras absque fide viva, quam Ser-  
vator semper veluti conditionem necessa-  
riam requisivit ad obtinendum, quod pe-  
titur: is enim non solum dixit, nos, quid-  
quid petierimus, obtenturos; sed, quod  
cum fide petierimus. Tandem lassaris,  
& ab oratione desistis; cum tamen certa  
orationis efficacia de lege ordinaria perse-  
verantiæ affixa sit. Si his omnibus con-  
ditionibus oratio tua caret, in te metipsum,  
si non exaudiris, culpam refer.


*Examine, quænam harum conditionum  
orationem tuam deficiat, & impediatur, quò mi-  
nus exaudiatur. An non omnes istæ forsitan in  
ea desiderantur?*

Petitis, & non accipitis, eò quòd male  
peratis. *Iacob. 4. v. 3.*

Non petitur nomine Salvatoris, quid-  
quid est contra rationem salutis. *Aug. in  
Ioan.*

DIES

Majus.



## DIES XIX.

De vera Pietate erga B. V.  
Mariam.

## I.

UNA è causis, & signis certissimis Præ-  
 destinationis nostræ pietas est in B. mam  
 Virginem, si quidem ea vera est. Sunc  
 enim quædam in Deiparam pietates falsæ,  
 aliæ justo fidentiores, aliæ denique imper-  
 fectæ. Falsa pietas nos decipit, & vanalpe-  
 lactat justo fidentiorū interit. Nobis struit.  
 Imperfecta ad salutem æternam nos non  
 perducit. Falsa pietas in B. mam Virginem  
 est, eam labijs honorare, & corde ignomi-  
 niâ afficere; honorare matrem, dum fi-  
 lium offendimus, & ab ea gratias petere,  
 dum ijs abutimur, quas nobis jam obtinuit.  
 Justo fidentior pietas est, sibi persuadere,  
 S. mam Virginem salutem nobis impetra-  
 turam, dum ipsi pro ea laborare nolumus.  
 anne ipsa plus, quàm Deus præstare po-  
 test, qui æternam Beatitudinem nobis da-  
 re sine nobis haud potest? Temeritas est  
 confidentiâ, qua in eam ferimur, uti ad  
 perseverandum in peccato, quòd creda-  
 mus, eam nobis peccatorum nostrorum

ve.

veniam obtenturam : hoc enim est, ipsam Majus  
tam iniquitatum nostrarum velle compli-  
cem reddere. Quanta injuria ! pietas im-  
perfecta est, totum cultum, qui B. mæ  
Virgini exhibetur, constituere in frigidis  
quibusdam, & languidis precibus, ac cære-  
monijs exterioribus. Perfecta in Deipa-  
ram devotio consistit in imitandis ejus vir-  
tutibus : omnis pietas, quæ huc non col-  
limat, imperfecta est. An non & tua sic  
est comparata?

II. Servus Mariæ nunquam peribit: ve-  
rum est. Hæc cogitatio autoritate SS.  
Patrum, ratione, & experientia nititur. At,  
estne servus Mariæ, qui mundi, & diaboli  
mancipium est? estne servus Mariæ, qui  
ejus filio inimicus est, nec ei se reconciliare  
cupit? estne servus Mariæ, qui in se do-  
minari patitur vitia, quæ ipsa summopere  
abominatur? estne servus Mariæ qui filij  
ipsius leges perulenter violat, & matris se  
protectioni committit, & immunis esse cu-  
pit à pænis, quas leges ipsius violando me-  
retur? estne servus Mariæ, qui ejusdem  
insignia portat exteriùs, dum cor ipsius  
cordi penitus habet oppositum eique non  
obedit, dum ipsius filio non obtemperat?  
ipsa non minùs, quàm filius exigit morum  
commendationem, non verò mortem pecca-  
toris.

toris

**Majus.**

roris, si per obstinationem tuam ei te opponis, non amplius servum, sed hostem suum te reputabit, cum obstinato animo filij sui hostis esse velis.

III. Verum est, pietatem in S. mam Virginem maximorum peccatorum esse refugium, eisque minimè desperandum, quamdiu sinceram simul, & justam erga ipsam fiduciam habuerint. Hæc in ipsam pietas, & confidentia præsidium quoddam est, quo ab ira Dei defenduntur: si verò hoc præsidio abutimur, magnam Deus gratiam nobis subtrahet, ut hac pietate, & simul omni salutis obtinendæ spe excidamus. Et postmodum B. ma Virgo interitum nostrum impedire alia ratione non potest, quàm providendo nobis de gratijs Protectionis, quæis nos è periculis liberet. Si verò, ipsâ invitâ in illa nos conijcimus, quid ipsius protectio nobis proderit? ipsa enim salutem impetrare nobis non potest, nisi vitæ in melius commutandæ nobis obtineat gratias: quibus si resistimus, quid nos eæ juvabunt, nisi ut excusatione minùs efficiamur digni? qua ratione Deipara certam reddere prædestinationem nostram potest, nisi obtinendo, ut in statu gratiæ moriamur? qui verò hoc fieri potest, si in peccato semper vivimus?

EXA.

Examina te, ut videas, an nomen servi Ma-  
riæ merearis atque inde judicare possis, an  
commoda huic nomini annexa exigere possis. Majus.

Qui audit me, non confundetur; qui o-  
perantur in me, non peccabunt. *Eccli. 24.30.*

Si Mariam diligitis, si vultis ei placere,  
æmulamini. *Bernard.*

---

DIES XX.

De Necessitate, quæ vero Chri-  
stiano incumbit, Christum se-  
quendi.

I.

**E**Sne Christianus? Quæstio videtur in-  
utilis; sed forsan injusta non est, quan-  
doquidem hoc dubium fundamento non  
caret. Usus rationis vix attigeras, cum  
hæc quæstio tibi proponebatur; innocen-  
tia ætatis tuæ, te, quod verum erat, respon-  
dere docuit. Potésne etiamnum hunc in  
modum respondere? verum est, te nomen  
Christiani gerere; sed, an tanti mensu-  
ram nominis imples? characterem quidem  
ejus habes; sed agísne vitam eidem con-  
gruam? credísne modicum aquæ,  
quo in sacro fonte tinctus es, perfe-  
ctum te Christianum effecisse? necessarium  
hoc est; sed non sufficit. Quid est esse  
Chri-

Majus.

Christianum? est esse hominem, qui profiteretur, se Christum sequi, imitari. An eum sequeris? an eum imitaris? si ita res se habet, verus es Christianus.

II. Quid est esse Christianum? est esse eum, qui sibi Christum proponit velut exemplar, Evangelium, & Christi vitam veluti vitæ suæ regulam; qui divini huius archetypi evadere conatur ectypon; ita, ut, dum quis ipsum intuetur, se Christum intueri credat; idcirco, quòd omnia ejus lineamenta, ut ita dicam, in se exprimat, & dicere cum Apostolo possit, se vitâ Christi vivere, vel potius Christum in ipso vivere. Hæc est effigies hominis Christiani. Estne hæc etiam tua? cognoscisne te ex hisce lineamentis? si ita est, Christianus es; sin verò, injuriâ hoc tibi nomen tribuis; fidelis enim nomine, re infidelis es; Christianus in speciem, ethnicus reapse. Quale monstrum! Ectypon Christi esse debes, si Christianus es. Si quis judicare velit, an Ectypon non aberrat ab archetypo, unum cum altero componit, & singulos utriusque ductus examinat; comparisonem si facis, quantum ea tibi ruborem iniiciet, dum tibi monstrabit, quantopere ab hoc divino exemplari distentias!

III. Chri-

III. Christus est humilis; tu superbus Majus  
inanis gloriæ sectator es. Ille abhorret  
honores, & fugit; tu ijs cum ardore in-  
hias. Ille mitis fuit, & pariens; tu ferre  
nihil potes. Ille atrocissimas injurias re-  
mittit, tu vel levissimas condonare non  
vis. Ille ipsos suos amavit tortores; & tu fra-  
tres tuos amare non potes. Ille fuit pau-  
per, ita ut nudus prorsus moreretur; &  
tu bonis terrenis supra modum addictus  
es. Ille vitam egit perpetuò asperam,  
& austeram; tu vitam mollem, & suavem  
sectaris. Ille sibi delicias etiam innocentissi-  
mas negavit; tu periculosissimas, & forsitan  
immoderatissimas tibi permittis. Ille fuit  
obediens usque ad mortem Crucis; tu in  
rebus facillimis obedire renuis. Ille in re  
nulla seipsum quæsivit; tu in omnibus te  
quæris. Potestne major esse oppositio,  
&, quod consequens est, manifestior re-  
probationis character? nonne Christi è cru-  
ce pendentis imago, quæ tibi in morte ex-  
hibebitur, ut te ad confidendum animet,  
te condemnabit? mors Christi inutilis tibi  
erit, si ipse vitam tibi non statueris vi-  
vendi regulam? si ex ipsius exemplis non  
profeceris, ex eius meritis utilitatem non  
percipies. Nec Servator tuus erit, si  
exemplar tuum non fuerit,

L

Com-

Majus.

Compara te cum divino hoc archetypo, ut videas, an ex hisce lineamentis te cognoscas.

Magister, sequar te, quocunque ieris.  
Matth. 8. 19.

Frustra sum Christianus, si Christum non sequor. Bern.

## DIES XXI.

## De Mysteriis vitæ Christi occultæ.

## I.

Quis Christi Consilium in vita sua occulta comprehendere potest? Is venit animabus in salutis viam perducendis daturus operam, & triginta ipsos annos in officina opificis perseverat, ut vitam in ea obscuram, &, ut videretur, inutilem agat. Cur tam ardentem Zelum loco tam ignobili includit? cur lumen adeò rutilans sub modio abscondit? cur tam admiranda talenta sepelit? cur mundum non percurrit, ut eum doctrinâ suâ instruat, virtutum exemplis ei præluceat, suis miraculis in stuporem rapiat, vitæ suæ sanctitate, & verbi divini virtute ad meliorem frugem convertat? cur denique triginta ipsos annos nihil agendo transigit; cùm intra  
hoc

hoc tempus tanta præstare ad gloriam Dei Majus. possit? quàm impenetrabilia esse videntur vitæ hujus absconditæ Mysteria? imò, quàm grandia, quàm admiranda sunt ijs, qui ea penetrant?

II. Christus in hac vita occulta nihil agere credebatur; & tamen quanta non egit, nihil ut videtur, agendo? cùm voluntatem faceret Patris, an nihil agebat? cùm nos doceret pretium voluntatis divinæ, quid non agebat? nihil enim ad speciem agere, dictante id Dei voluntate, plus est, quàm multa, & grandia præstare contra Dei voluntatem; an nihil agebat, cùm per hoc nos pararet ad mysteria vitæ suæ in SS. Eucharistia absconditæ? an nihil agebat, cùm per hunc amorem vitæ occultæ nobis suppeditaret antidotum adversus superbiam nostram, & desiderium, quo videri, & æstimari ambimus? an nihil agebat; cùm ex officina Scholam quandam faceret, in qua nobis daret tam insignia documenta de humilitate, quæ nos in cognitionem pretij hujus virtutis adducerent; ejus æstimationem, & amorem inspirarent, ejusque praxin nos docerent? an nihil agebat; cùm nobis præberet exempla, quæ olim Alexios, & Calybitas animatura, quæ eremos insignibus Anacho-

Majus.

retis, & Religiosorum claustra tot Sanctis viris, & fæminis celebratura essent; an nihil agebat?

III. At quantopere hæc vita Christi occulta superbiam tuam, & immoderatum te conspicuum, celebrémque reddendi desiderium tibi exprobrat? Zelus tuus, ut videtur, te animat ad magna præstanda, ad actus virtutum exercendos, qui splendorem præferant. Verbo: omnia facere cupis, sed metuendum, ne omnia tentando nihil facias. Nam facere multum, sed non pro Deo, est nihil facere. An non fastus est, qui ad exteriora te impellit? an non philautia est, quæ te ad agendum incitat? an non desiderium, te gloriosum reddendi, magnúmque tibi præ alijs nomen comparandi, ad opera bona te instigat? quid est, quod te usque adeò ad opera ultronea moveret? id nimirum, quòd multum splendoris habeant, réque præ cæteris spectabilem reddant; cùm tamen in operibus, ad quæ facienda obstrictus es, ram socors sis; quia nempe obscura sunt, nullámque tibi famam comparant. An non mysteria vitæ Christi absconditæ occultam tuam superbiam produunt?

*Examina te ipsum, ut videas, an vehementia Zeli tui, & desiderium ad exteriora te effun-*

fundendi non sit effectus potius vanitatis, quam Majus.  
charitatis?

Verè tu es Deus absconditus. Isa. 45. 15.

Nostrium otium magnum est negotium.

Aug.

DIES XXII.

De Mansuetudine.

I.

**B**Eati mites, inquit Christus, quoniam ipsi possidebunt terram. Imò longè plus consequentur; possidebunt enim cor Dei, possidebunt corda hominum, possidebunt cor proprium. Dominus est Deus pacis, thronum suum erigit in cordibus, in quibus pax refidet; in commoto, & irato corde non invenitur. Non in commotione Dominus. Ejus deliciae sunt in anima miti, & tranquilla quietem capere, eique se impertire. Hoc ut filios suos aspectu suo dignatur, & ut talibus non solum hæreditatem suam pollicetur, sed ex hoc momento exquisitorum beneficiorum eos reddit participes. Cujunquam magis se impertijt, quam Moyfi? plures in ipsum, quam in ullum mortalium gratiæ fuere collatæ, non alia de causa, quam, uti SS. Litteræ notant,

Matth. 5.

Factus est in pace locus eius Psal. 75.

3. Reg. 19.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.

Matth. 5.

L 3 . quia

quia mitissimus fuit. David sibi visus non est potentius argumentum Deo afferre posse ad gratias ejus impetrandas, quàm si mansuetudinem suam ei in mentem revocaret. An non defectus gratiarum, quem deploras, è defectu mansuetudinis proficiscitur?

II. Homo mitis, & benignus, qui se ipsum possidet, corda etiam hominum possidet, & quodammodo in ea dominatur. Non est ingenium ad eò ferox, quod mansuetudine non concilietur; nec iræ tam impotens, quod per eam non mitigetur. Ira atrocissima, inquit spiritus sanctus, verbo miti, & officioso obsistere non valet. Quantaunque vi polleat zelus, plures tamen mansuetudo, quàm ipse ad meliorem frugem reducit. Quot corda ea sibi subjecit, quæ zelo obstiterè? zelus Servatoris perterrefecit quidem Templi prophanatores, neminem tamen eorum ad honestiorem vitæ rationem reducere notatus est. Castigavit eos, sed non emendavit. E contrario obstinatissimi quique mansuetudinis ipsius amœnitati opponere se non potuère. Testantur id Publicani, Magdalena, & maximi peccatores, ei se dedere compulsi. Quî fieri potest, ut is non ameretur, qui malum pro malo reddere penitus

ho-

*Prova. 17.*

horret, qui nullum verbum paulò acerbius Majus.  
elabi sibi patitur, qui ipsam etiam ve-  
ritatem non nimis ferventer defendit, qui  
jura sua tenaciter non tuetur, qui bono-  
rum suorum, quàm benignitatis jacturam  
facere mavult, qui injurijs non nisi obse-  
quia rependit?

III. Mansuetudo facit, ut homo se i-  
psum possideat, verus cordis sui Dominus;  
cùm id nec perturbationibus, nec agitatio-  
nibus concutiatur. Is in eo velut in aqua  
pura, & pellucida videt omnes motus ini-  
bi assurgentes, & quemadmodum nec ira-  
cundia, nec aliæ commotiones animo ejus  
dominantur, sic ipse omnibus suis cupidi-  
taribus imperat, quæ contra ipsius manda-  
tum se non erigunt, nec ulla è corde ejus,  
nisi ipso volente, prodit. Homo iratus,  
ajunt, est extra se; quí igitur videre pote-  
rit, quid in se geratur? quí omnibus animi  
sui motibus moderari poterit? verùm ho-  
mo mansuetus, & tranquillus nunquam  
extra seipsum prodit, sibi nunquam non  
attentus. Idcirco perspicit, quid in se a-  
gatur; nec quidquam ipsum latet. Que-  
madmodum mansuetudo Dominium ei tri-  
buit omnium animi sui motionum; sic o-  
mnes earũ imperus facilè comprimit, sibi-  
que morigeras experitur, cùm, & ipse ra-  
tio

*Majus,*

tionem, & Deo semper morem gerat. Si cupiditates tuæ frequenter contra te insurgunt, inde oritur, quod rationi, & Deo te non submittas.

*Statue ad id seridò incumbere, ut Dominus tuus ipse efficiaris per patientiam, & mansuetudinem, si aliorum corda conciliare tibi cupis.*

In patientia vestra possidebitis animas vestras. *Luc. 21. 19.*

Pax mea cum humilibus, & mansuetis corde. *Imit. Chr. c. 13. l. 3.*

## DIES XXIII.

## De Separatione Sua a Mundo,

## I.

Fieri non potest, ut quis salutem consequatur æternam, nisi à mundo se abalienet; ab eo verò se abalienare difficile est, nisi ab eo se separet. Exire de medio mundi corrupti, dicit Dominus, & ab eo vos sejungite, si filij Dei, id est, veri Christiani esse velitis. Gratia, quæ nos Christianos reddit, est gratia separationis. Imò simul, ac caractere Christiani per S. Baptismum ornatur, ad mundo renuntiandum, & ab eo nos separandos nos obstringimus. Divus Paulus ad Christi fidem vocatio-

*2. Cor. 6.*

*Quis segregavit ex utero Galat 1.*

cationem, separationem appellat. Id, quod Majus, prædestinatos reddit, est separatio, quam Deus instituit, dum eos è massa perditionis segregat. Id, quod veros Christianos efficit, inquit S. Augustinus, est separatio à mundo corrupto; & hæc verè pænitentes reddit. Primus motus, quem gratia peccatori inspirat, est desiderium è periculis mundi, qui eum corrumpit, discedendi. Si gratia Christianismi est gratia quædam separationis, ei respondere non possumus, nisi à mundo nos sejungamus. Sunt gratiæ nonnullæ corroborantes, quibus non nisi certando respondemus. Sunt gratiæ præcautionis, quibus non nisi timendo respondemus. Sed, quod atinet ad gratias separationis, ijs non nisi fugiendo responderetur.

II Aura mundi aura est peste infecta. Qua ratione morari in eo diu possumus, quin ea afflemur? quàm difficile est in mundo versari, & tamen amoris vinculo ei non alligari? Res omnes, quas in mundo cernimus, Sermones, quos in eo audimus, Exempla omnium illorum, quibuscum vivimus, eò conspirant, ut ei nos affigant. objecta, & bona omnia, quæ mundus nobis proponit, sub sensus nostros cadunt, & proin vim perquàm vehementem in eos

Majus

faciunt, quibuscum singularem proportionem habent; atque hac ipsa de causa affectiones nostras excitare, corque nostrum movere facile possunt. Sermones omnium eorum, quibuscum consuevimus, cum non agant, nisi de magni aestimatione, rerum sub sensum cadentium, quibus ipsi sunt inescati, nos quoque ijs inescant, & affectionem, quæ aliunde jam sat fortis est, roborant: Sed Exemplum tot hominum, inter quos vivimus, quos aestimamus, quos amamus, quique omnes suas curas hisce bonis inquirendis impendunt, omnem felicitatem suam in eorum possessione statuunt, est quasi torrens aliquis, qui nos abripit, ut submergat, & ad interitum præcipitet. Itaque securitatem, salutemque nostram, præterquam in separatione, & fuga, invenire non possumus.

III. Itaque separatio à mundo necessaria est; at simul difficilis: homo enim occasione conditionis suæ mundo irretitus eum fugere non potest: nihilominus ab eo separare se debet. 1. à mundo corrupto. 2. à mundo periculoso. 3. à mundo vano, & frivolo. Hæc autem separatio suos gradus habet. Abalienare penitus se debet à mundo corrupto, ab hominibus, quorum liberior vivendi ratio, sermones  
 am-

impuri, axiomata impia, consilia scelera-  
ta ad nihil sunt apta, nisi ad corda deprava-  
nda, & animas perdendas. Vitare de-  
bet, quoad fieri potest, mundum pericu-  
losum, ubi primas plerumque tenent sæculi  
pompæ, quibus in sacro Baptismate re-  
nuntiavimus, domos ludorum, & con-  
tinuarum animi remissionum: item con-  
gressus illos, in queis non nisi obtrecta-  
tiones, & facetiæ ineptæ in usu sunt. mo-  
derari, & coërcere debet commercium  
cum mundo vano, & frivolo, totque vi-  
sitationes inutiles rescindere, ut tempus,  
quod sibi conceditur, tribuat obeundis  
muneribus conditioni suæ, & dignitati  
Christianæ proprijs, ut subinde sacris al-  
taribus advolvatur, vel conclavi suo se ab-  
dat, salutis suæ invigilaturus, & precibus  
navaturus operam. solésne hoc agere?


*Statue, in quocunque statu vivas, mundo  
penitus valedicere, teque ab eo, quantum po-  
tes, separare.*

Exite de medio eorum, & separamini,  
dicit Dominus, & ego recipiam vos, &  
ero vobis in patrem. 2. Cor. 6. v. 17. & 18.

Non vis relinquere mundum; relin-  
quet te mundus. Aug. Serm. I.

DIES

Majus.



## DIES XXIV.

## De Regulis Charitatis in Proximum.

## I.

*Diliges proximum tuum, sicut te ipsum*  
*Matth. 22.*  
*v. 39.*

**R**egula prima charitatis est, amare proximum nostrum, sicut nos ipsos. Amor, quo nos ipsos prosequimur, teneri est. Teneri hujus amoris primus effectus est, minima etiam mala, quæ nobis obveniunt, graviter ferre; vel potius nobis persuadere, mala nostra nunquam esse levia. Charitas nostra in proximos idem in corde nostro præstet necesse est. Si eos ut nos ipsos amaremus, de minimis eorum malis doleremus; vel potius, charitas ea nobis ut grandia proponeret, exemplo S. Pauli; qui, cum propria mala dolorem ei non afferrent, ex omnibus tamen malis fratrum suorum non modicum dolorem capiebat. Quàm longè ab hac agendi ratione absumus, qui in malis, quæ proximo accidunt, tam duro sumus animo. Secundus teneri in nos amoris effectus est, proprios defectus tegere, aut curare, ut leves esse videantur. Id ipsum etiam charitas agere debet, si fratrum nostrorum spectemus

mus

mus defectus. Hæc illos velut leves nobis proponet; si actionem excusare nequimus, intentionem excusabimus; si nec ipsam intentionem excusare possumus, imbecillitatem hominis miserabimur, nobisque ab hoc defectu cavebimus. Quomodo tua agendi ratio huic regulæ congruit; quantum ab hac charitate diversa est!

II. Altera charitatis regula est, proximum nostrum eo modo amare, quo ab ipso amari vellemus. Hanc regulam Christus ipse nobis præscribit: *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & hoc facite illis.* O regulam divinam! observemus eam, tum justi, imò, & sancti erimus. Quid facilius? sufficit legem sequi amoris nostri ipsorum, quantumcunque exlex sit. Sufficit sequi motus ejusdem, quantumvis sint injusti, ut eis nos accomodemus. Is proximo justa reddere nos docebit. Quis è seipso percunçteretur: vellémne ego, ut hunc in modum ageretur mecum? vellémne, ut austeriùs tractarer, ut alij contemptim de me loquerentur, ut imperiosum in modum, si quid agendum esset, mihi præciperetur, ut meæ famæ malitiosè detraheretur, ut cavillationibus exciperer, ut ludibrio haberer, ut minimi mei erro-

res

Majus.

Matt. 7. 12.

**Majus.**

res, quasi magni forent, traducerentur, ut exaggerarentur, ut innocentissimæ meæ actiones summè nocentes reputarentur, ut intentiones meæ, quantumvis rectæ, in deteriorem partem malignè acciperentur; ut sinistrum judicium è levissimis indicijs de mea vivendi, & agendi ratione ferretur, ut imbecillitatibus meis nulla tribueretur venia, ut defectus mei non tolerarentur? an non optarem, ut modo prorsus contrario mecum ageretur? Ecce ego non eadem ratione cum alijs agam, cum lex charitatis præscribat, ut alijs faciam, quod fieri mihi vellem?

III. Tertia charitatis regula est, proximum nostrum amare, sicut Christus nos amavit. Atque hanc ipse nobis præscribit, dum ait. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Si hanc Regulam consulamus, si eam sequamur, quousque nos non deducet? Quomodo Iesus nos amavit? sine ullo nostro merito. Quid in nobis reperit amore suo dignum, vel potius quid in nobis reperit, quod non ipsius odium mereretur, cum ejus inimici essemus? amavit nos sine ullo suo commodo, quid enim sperare poterat à pauperibus, & miseris, quales nos sumus? amavit nos tam ardentem, ut bona, quietem, gloriam


**Ioan. 34.**

riam, & vitam suam nobis consecraret. *Majus:*  
*sic dilexit.* En quantopere IESUS nos amâ-  
rit ! En exemplum, quod veluti charita-  
tis nostræ regulam nobis proponit. En  
præceptum verè novum, quod veri Chri-  
stiani observare tenentur. ane hæctenus  
id observavi? an ad id observandum saltem  
deinceps paratus sum ? ad hoc obtinen-  
dum necessarium foret, mi Servator, ut me  
minùs, & te magis amarem, quàm amem;  
ut proximum meum prorsus heroica cha-  
ritate diligerem; cujus praxin docere me  
solus potes; quemadmodum solus ejus mi-  
hi præbuidisti exemplum.

*Assuesce potissimùm in modo cum proximo a-  
gendi, secunda regula uti, & frequenter ex te  
querere: vellémne, ut hunc in modum ageretur  
mecum?*


In hoc cognovimus charitatem Dei,  
quoniam ille animam suam pro nobis po-  
suit, & nos debemus pro fratribus animas  
ponere. 1. *Joan. 3. v. 16.*

Omnium ille passiones suas credidit, &  
tanquam suas flevit. *Hilar.*



DIES

Majus.



## DIES XXV.

## De Gradibus Consensus voluntatis nostræ cum Divina,

## I.

**P**rimus Gradus conformationis voluntatis nostræ cum divina consistit in ferenda Dei voluntate, cum difficultate quidem aliqua, sine tamen impatientia; cum horrore quidem aliquo, sine tamen adverso conatu, non quidem reipsa murmuramus, subinde tamen querimonias quasdam excidere nobis patimur. Non vellemus voluntati divinæ nos opponere, malle tamen, ut ea se nostræ accommodaret: potiùs id petimus immoderato, & inquieto studio, quàm vero fervore; non vellemus id obtinere medijs injustis utendo, adhibemus tamen ea, quæ valdè sunt imperfecta; non vellemus admittere peccatum lethale, ut votis damnaremur; sed multis peccatis levioribus committendis nos exponimus; non volumus ei resistere, turbamur tamen. Hic gradus Conformationis magnopere imperfectus est. Verùm quantumcunque imperfectus sit, forsitan necdum eum attigisti.

II. Se-

II. Secundus gradus est, se voluntati di-  
vinæ submittere. Gradus iste horrorem om-  
nem non excludit; sed facit, ut eum supe-  
remus. Affligimus nos ob jacturam bo-  
norum, ob mortem hominis illius adeò  
nobis chari; divinæ tamen voluntati ac-  
quiescimus. Commovemur quidem ab in-  
juria quadam per inimicum nobis illata; ab  
illius amici perfidia; neque tamen idcirco  
turbamur; tantùm abest, ut in murmura-  
tiones erumpamus, ut ne modestis quidem  
querimonijs demus locum; aut, si qua na-  
turæ nostræ imbecillitati elabatur, eam  
quantocyus ejuramus, & damnamus. Si  
quando gemitus edimus, gemitus hi amo-  
re plenissimi sunt, & è fiducia prodeunt  
filij, qui coram tam benigno Patre cor-  
suum exonerat afflictum: si cordi afflictò  
motus quidam primo-primi excidant, qui  
voluntati divinæ adversari videntur, id  
non fit, nisi ut eos comprimat, & occasio-  
nem habeat sacrificium suum renovandi.  
Tantùm abest, ut vel minimum errorem  
admittere velit, quo impedire cupiat, quò  
minùs voluntas divina impleatur, ut ne  
pedem quidem eum in finem movere vel-  
let; & si vel unico verbo opus esset ad mo-  
vendum Deum, ut suam voluntatem no-  
stræ accommodaret, id proloqui nolleret.

M

O

Majus.

O quàm longè ab hoc gradu abes! Et tamen hic perfectissimus non est.

III. Gradus Tertius Conformationis cum divina voluntate in eo versatur, ut etiam tunc eam amemus, cum nobis severissima videatur. Voluntatem divinam non amare, est Deum ipsum non amare. Voluntas divina voluntas justa, & sancta est; ac proin eam non amare, est malum, & injustum esse. Voluntas Dei nulla re, nisi nos amando, nobisque benefaciendo occupatur. Itaque eam non amare seipsum odisse est. Omnes nos è naturæ legibus bonum amamus; potèstne verò aliquid, quod bonum non sit, à voluntate infinite bona proficisci? maxima quæque mala, ubi per Dei voluntatem transeunt, mutatâ naturâ, evadunt bona; atque ita non solum animo voluntati divinæ consentiente, sed & læto acceptanda sunt. Bona ipsa, quæ accipimus, non tam propter se, quàm propter voluntatem divinam, à qua proficiscuntur, grata habere debemus; similes beatis cæli incolis, quibus minùs cordi est propria felicitas, quàm divinæ voluntatis in eis impletio. Atque hoc est, quod ipsos perfectè sanctos, & beatos efficit. An non hujusmodi dispositio illud cor, in quo ea invenitur, ve-

rwij

rum Paradisum, & hominem, qui eam ha- Majus  
bet, verè beatum reddit?

*Examina te, ut videas, ad quem trium ho-  
rum graduum perveneris?*

Sicut autem fuerit voluntas in cælo, sic  
fiat. 1. Machab. 3. 60.

Gratias agas Deo non minùs in adver-  
fis, quàm in prosperis, & cùm prospera  
sunt, te non meruisse fatearis. *Eucher.*

## DIES XXVI.

### De Præsentiâ Dei.

#### I.

**D**eus me intuetur. Ah grande Verbum  
ei, qui id comprehendit! Quanto-  
pere hoc animi nostri motus reprimere,  
desideria moderari, peccata prævertere,  
animi nostri magnitudinem tueri, fervo-  
rem nostrum animare, vitam nostram ad  
rationis normam dirigere potest? *Deus me  
intuetur*, semper mihi præsens, semper at-  
tentus est, semper de me cogitat. Et ego  
eum non intueor, ei non attendo, de eo vix  
unquam cogito. In quantum id mihi de-  
decus cedit! *Deus me intuetur*, quantam  
reverentiam, quantamque modestiam ipsi  
præsenti exhibere me non oportet? Sera-

M 2

phi-

Majus.

phini coram hac Majestate præ reverentia, ipsi humilitatis abyſſo ſe immergunt. Et ego terræ vermiculus non contremiſcam? Majestas regum tantam hominibus imprimat venerationem, ut insolentiffimos quosque intra honestatis limites contineat, & Majestas divina me non coërcebit? *Deus me intuetur.* Auderémne coram oculis tam puris, qui iniquitatem ferre non possunt, facinora committere, quæ coram homine non auderem? auderémne ipſo præſente peccare, cum ſciam, quòd odio ſint Deo impius, & impietas ejus? præſente, inquam, Deo, cui ad me perdendum non niſi voluntate opus eſt?

Sap. 14 v. 9.

II. *Deus me intuetur.* Vider igitur, quidquid boni facio, & quidem, ut id remuneretur, & vel minimam bonam actionem, minimum deſiderium bonum felicitate infinita coronet. An non tanto Domino languidè ſervire foret eum contemnere, tantæque remuneratione indignum ſe reddere? *Deus me intuetur.* Is intima prorsus cordis mei penetrat, omnes ejus motus obſervat, omnes cauſas, quæ me ad agendum alliciunt, diſcernit, quanta pro in intentionis puritate omnes meas functiones obire debeo? *Deus me intuetur;* cum vehementiffimè tentor, ſuos in me oculos

con.

convertit, ut me ad pugnandum excitet, *Majus* opem suam mihi offert, qua me defendat; coronam mihi ostendit, qua me ad victoriam animet. Quanta igitur animi magnitudine pugnare me decet? possumne de victoria dubitare auxilio tam potenti fulurus? possumne difficultates horrere, securus de palma, si eas superavero?

III. *Deus me intuetur.* In afflictionibus meis observat omnia, quæ, & quomodo patiar. *Ærumnis* meis haud mediocriter movetur; patientiæ, qua eas perfero, rationem habet; si ad ipsum confugio, vel ijs me liberare, si id ad ipsius gloriam, meamque salutem cedat, vel certè in ijs roborare me paratus est, ne illis succumbam. Cur ergo despondeam animum? *Deus me intuetur*, ut miseras meas spectet, ut arcanis cordis mei gemitibus moveri se patiat, ut desideria mea prævertat, ut preces meas exaudiat, ut necessitatibus meis subveniat. An igitur aliquid mihi deesse potest, quantumvis miser esse videar, modò confidentia in Deum mihi non desit?

*Frequenter in memoriam revoca hæc verba: Deus me intuetur. Cùm hoc sit medium non minus tutum, quàm facile, ab omni tibi peccato cavendi.*

Major

Melius mihi est absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini. *Daniel. 13. 23.*

Angelos, & angelorum Dominum, in lucta, quæ tibi cum diabolo est, spectatores habes. *Ephrem.*

## DIES XXVII.

## De Summa Dei Perfectione.

I.

**Q**uid est Deus? Est, inquit S. Thomas, natura quædam adeò perfecta, ut perfectius concipi nihil possit. Comprehendit enim in se, sed modo nobilissimo omnes perfectiones visibiles, & non visibiles, quæ in tota natura vel inveniuntur, vel inveniri possunt. Congere, quidquid est perfectionum, & pulchritudinum in omnibus creaturis sive corporeis, sive spiritualibus, quæ fuere, sunt, & esse possunt, si Deus ijs in infinitum perfectiores procrearet; dic tamen cum S. Augustino: omne hoc pulchrum est, sed non sicut tu, Deus meus. Vel potiùs dicito: hoc pulchrum non est. Hoc turpitud. est Deo meo comparatum. Et sanè, si exiguus ductus venustatis, qui in misera inveni-

tùr

tur Creatura, cor meum inescare, imò fascinare potest, quàm longè alia species fascinationis est, quòd omnium pulchritudinum congeries, quæ modo tam perfecto in Deo invenitur, cor meum lucrari, & in sui amorem trahere non possit? cur ad sitim meam extinguendam quæram aquæ cænolæ guttam, cum inexhausto fonte aquæ vivæ satiare me possim?

II. Deus in se comprehendit omnes perfectiones sine vel minimo defectu. Bonus est sine qualitate; magnus est sine quantitate; immensus est sine extensione; æternus sine spacio temporis; in omnibus locis est, quin ijs circumscribatur; semper agens, & in quiete semper; immutabilis, & omnia mutans; immobilis, & omnibus tribuens motum; incomprehensus, & omnia comprehendens; prospiciens omnibus, sed absque sollicitudine; zelum habens, sed absque indignatione; iram habens, sed absque acerbitate; odium habens, sed absque commotione; amorem, sed absque cupiditate; desideria, sed absque indigentia. Quid perfectius? Deus nos amavit, inquit S. Augustinus, licet defectibus essemus pleni, etsi nihil nisi turpitudine ipsa essemus; si in ipso defectum aliquem inveniamus, contentus est, etsi se non ame-

M 4

maus.

Majus.

mus. Verùm si omne id, quod defectu caret, omne id, quod perfectum est, amari meretur, quò fit, ut, cùm æquè parùm possimus non amare, quod amabile est, quàm non videre, quod visibile est, solus tamen Deus infinitè amabilis non ametur, imò dicere ausim, odio habeatur?

III. Deus omnes has perfectiones in se comprehendit non tantum sine defectu; sed etiam modo excellentissimo possidet eas sine limite, cùm sit infinitus; sine indigentia, cùm sit naturæ ipsius plenitudo; sine permissione, cùm sit actus (ut vocant) purus; sine distinctione, & divisione, cùm sit natura simplicissima; sine vicissitudine, cùm sit immutabilis; sine acceptione rei cujuscumque ab alio, cùm à nemine pendeat, & ab ipso pendeant omnia; sine timore eas amittendi, cùm omnes ipsi sint ingentæ, ipseque sit ex essentia sua talis. Ah! Domine, quis similis tibi? Potèstne igitur aliquid esse, quod tantum à me amorem, & reverentiam mereatur, quantum tu?

*Statue nihil amare, nisi Deum, cùm is in se comprehendat, quidquid amabile est, pulchrumque, & amabile nihil sit, nisi per ipsum.*

Ex ipso, per ipsum, & in ipso sunt omnia. Rom. 11. 36.

Cur

Cur ergo vagaris, quærendo bona ani-  
mæ tuæ, quære simplex bonum, in quo  
sunt omnia bona, & tibi sufficit. *Anselm.*  
c. I. 25. *Prof.*

Majus.

FESTUM

Ascensionis Domini Nostri.

I.

**M**ysterium Ascensionis mysterium est  
separationis. Christus Dominus,  
cùm terram relinquit, invitat nos ad eam  
pariter relinquendam. Unde sic Apосто-  
lus concludit. *Si consurrexistis cum Christo,*  
*quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est, in*  
*dextera Dei sedens: quæ sursum sunt, sapite,* *Coloj. 3. 1.*  
*non quæ super terram.* Spiritus Christianis-  
mi spiritus separationis est: omnia eò nos  
dirigunt. Si Servator noster in Cælum  
ascendit, id eò factum est, ut discipulos  
suos ab amore nimis naturali, quo in i-  
psius ferebantur humanitatem, separaret.  
Si spiritus sanctus super eos è cælo descen-  
dit, id factum est, ut eos terram fastidire  
doceret. Sic primi Christiani à mundo pe-  
nitenti soluti terram intuebantur, veluti via-  
tores, & advenæ, ut proin mundus ipsis  
exilij esset locus: corpus suum carcerem

M 5

repu-

Majus.

reputabant, & inter perpetuos gemitus præstolabantur, dum ex hac misera captivitate liberi evaderent. Hic erat communis veris Christianis animi sensus. Sumusne etiam nos sic animo comparati? nos, qui terræ adhærescimus, quasi æternum in ea commoraturi? an non mihi timendum, ne cælo veluti peregrinus habear; quippe qui terræ adeò affixus sum, ac si ea mihi vera patria foret?

Deuter. 32.  
11.

II. *Mysterium Ascensionis* mysterium est desiderij; Christus Dominus in Cælum ascendens nos invitat ad se desiderijs saltem nostris eò sequendum. Ipse est illa aquila, quæ, ut scriptura loquitur, sese elevans nos veluti pullos suos ad volandum illuc provocat. Ubi est thesaurus noster, ibi & cor nostrum esse debet. Christus unicus noster thesaurus in cælo est; itaque & cor nostrum ibi esse debet. Christus Dominus caput est, cujus nos membra sumus: itaque separationem ab ipso, veluti statum nobis violentum, & crudelem avertari, vitamque hanc ut mortem aliquam cum dolore, & tædio tolerare debemus, idcirco, quòd unionem cum ipso, qui amoris nostri centrum, & vera vita est, impediat, vel certè retardet: dicamus proin sine intermissione cum Apostolo;

*Vr*

Vivere mihi Christus est, & mori lucrum. Hac Majus.

enim ratione cum Christo, qui vera est vita, conjungar. Sūntne hi animi tui sensus? si tales non sunt, signum est, te Christum aut languidè, aut penitus non amare. *Philip. 1.21*

III. Mysterium Ascensionis nobis spei, & confidentiæ mysterium est. Si Christus ad Cælum ascendit, factum id est, ut viam illuc nobis sterneret, & aditum aperiret: *Ego vado, inquit, parare vobis locum. Is caput nostrum est: felicitati proin* *Jo. 14.2.*

ipsum deforet aliquid, nisi denuò membris suis jungeretur. Ipse est Iosephus ille, qui, cū in Ægypto regnaret, & propterea felix esset, felicitatem hanc suam prius esse absolutam non credebat, quàm fratres sui ejus testes, & socij essent. Sic in cæna Patrem suum hunc in modum alloquitur: *Volo, ut, ubi ego sum, & illi sint* *Io. 17. v. 24.*

*mecum.* Qui dicit *volo*, loquitur ut Dominus. Potestne voluntas omnipotentis effectu suo frustrari? affert hujus rei rationem; ideò, inquit, ut gaudium meum sit plenum: ut ostendat perfectum non fore, nisi discipuli ejusdem secum participes essent. Quod tunc petijt pro discipulis ad dexteram Patris sedens, id ipsum quotidie pro nobis petit, inquit Apostolus. Potestne fieri, ut mediator adeò potens non

non

Majus.

non exaudiatur? potestne fieri, ut æternum felices non simus?

*Utere praxi S. Ignatij, qui Cælum intuitus sæpius exclamabat: quàm sordet mihi terra, cum Cælum aspicio!*

Quæ sursum sunt quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens. *Colos. 3. 1.*

Qui non gemit, ut peregrinus, non gaudebit, ut civis. *August.*

## FESTUM PENTECOSTES.

## De Causis Descensûs Spiritûs Sancti.

## I.

**P**Rima ratio, quæ Deum movit ad mittendum nobis Spiritum sanctum suum, est ipsius bonitas. Bonitatis proprium est se communicare, & bonitatis infinitæ infinitè se communicare. Id Deus præstitit, dum proprium nobis filium donavit. An non contentos esse nos oportuisset? sed Deus hoc non contentus, ubi donis suis nos cumulavit, fontem insuper donorum suorum, nimirum spiritum sanctum dare nobis voluit. Potuítne Deus, licet infinitè dives sit, plus nobis donare? A nobis non exigit, nisi modicam dispositionem. At  
qua-

qualem? Deus omnium bonorum plenitudo est: plenitudo verò, nisi vacuum inveniatur, effundere se non potest: cor proinde tuum temetipso, & rebus creatis vacuum implendum ei offeras necesse est. Hanc verò vacuitatem constituunt humilitas, & puritas. Atque hasce dispositiones Apostoli ad excipiendum spiritum sanctum attulere. Si eum necdum accepisti, quidnam causa est, nisi utriusque hujus dispositionis in te defectus?

II. Misericordia Dei miseriæ nostræ juncta altera fuit ratio, quæ Deum ad mittendum nobis spiritum sanctum commovit. Misericordia divina exercere se non posset, si miser nemo foret. calamitates nostræ, quò majores sunt, eò majorem misericordiæ ipsius præbent ansam, ejusque gloriam magis reddunt conspicuam. Omnes nos pauperes, omnes miseri eramus; spiritus sanctus verò pauperum, & miserorum pater est, vel potius ipsamet charitas, & misericordia: idcirco Pater æternus eum nobis misit. Hic est ille spiritus, qui facit, ut ærumnas nostras agnoscamus, qui facit, ut eas sentiamus, qui facit, ut ab ijs liberari desideremus, qui facit, ut oremus gemitibus ineffabilibus, quos ipsemet exaudit, dum se ipsum nobis donat, ut nos

in

Majus.

in afflictionibus nostris soletur, miserias nostras subleuet eâ efficacîâ, quæ nos verè reddere queat felices in maximis ærumnis, quibus obruimur. Si anxietate, & afflictione premeris, ad quem confugere debes, nisi ad hunc beneficum, potentemque consolatorem?

Ioân. 16.

III. Preces, & merita Christi tertia Patri æterno fuere causa spiritum sanctum nobis mittendi: *si enim, inquit Servator, non abiero, (ad cælum) Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos; qui vos non deseret.* Christus Dominus, ut hominum Reconciliator precibus suis eum nobis obtinuit, ut Redemptor noster cruciatibus suis eum meritus est, & denique ut Deus, à quo spiritus sanctus procedit, ipsemet eum nobis misit. Deus eum mittere, sed non mereri; homo nec mittere, nec mereri eum poterat. Itaque nemo erat, nisi Homo-Deus, qui eum mittere, & mereri posset; quanta bonitatis exuberantia, mi Servator, postquam teipsum nobis donasti, dedisti insuper spiritum sanctum, qui vices tuas ageret. Afflictos discipulos ob Hominis-Dei jacturam solari nihil poterat præter unius Dei possessionem.

Ute-

Utere tribus hisce causis ad movendum Deum, Majus;  
ut spiritum sanctum tibi mittat, nempe ejus bonitate, ejus misericordia, & meritis filij sui. An negare tibi potest, quod validis adeo rationibus nixus petieris?

Ego rogabo pro vobis Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum. *Ioan. 14. 16.*

Repleti sunt omnes spiritu sancto, qui vacui erant. *Humbert.*

---

FERIA II. PENTECOSTES.

De Fine, Propter quem Deus Spiritum sanctum nobis misit.

I.

PRImus finis, ob quem Deus spiritum sanctum nobis misit, erat, ut de filio suo testimonium redderet spiritui, & cordi nostro. Spiritui quidem nostro, ut tria perfecte in Christo cognosceremus, quæ juxta Apostolum absolutam Christi notitiam comprehendunt; nempe 1. ejus divinitatem, & perfectionum ipsius amplitudinem. 2. magnitudinem obligationum, quibus ei obstringimur ob bona, quæ nobis accersivit. 3. magnitudinem spei, quam in eo ponimus ob bona, quæ nobis polli-

ce-

Majus,

cretur. Hæc cognitio Christi perfecta procreabit in nobis amorem, ut vocant, appetitativum Majestatis ipsius; qui amor nos impellet ad omnia præ ipso contemnenda; sincerum grati animi sensum erga ejus benignitatem, quæ nos excitabit ad omnia ei consecranda, & confidentiam perfectam in ipsius promissis, quæ nos animabit ad omnia ab ipso speranda. Hoc est testimonium, quod spiritus sanctus de Christo dedit spiritui nostro, dum nos eum cognoscere docuit; & cordi nostro, dum ipse nobis ingeneravit amorem, qui perfectam sanctitatem constituit. Cedo: etiamne tibi spiritus sanctus hoc testimonium reddidit? an forsitan eum audire recusasti?

*suggeret vobis omnia quaecunque dixerit vobis.*  
Joan. 14. 26.

*Luce 18. 34.*

II. Alter finis, ob quem spiritus sanctus venit, erat, ut Apostolos veritatum, quas Christus eos docuerat, commoneret, quò eas meliùs penetrarent, & amarent. Erant illæ, quas eos docuerat, veritates sublimissimæ; sed eorum captum excedentes. *Et ipsi horum nihil intellexerunt.* Si enim eas comprehendissent, offensivum inde accepissent, quemadmodum Petrus, cùm ei Magister suus de suis cruciatibus loqueretur. Denique eorum mox fuere obliti, adeò, ut, cùm Servator in

Cæ.

Cæna ipsis proposuisset elegantia illa de *Majus.*  
 humilitate documenta, momento post eorum penitus immemores inter se disceptarent: *Luc. 9.* *quis eorum major esset?* sed, ut primum Spiritus sanctus super eos descendit, prorsus se mutatos sensere. Is illorum mentibus ita impressit omnes illas insignes veritates, ut eas perfectè intelligerent, probarent, & exercerent, earumque præstantiam alijs etiam feliciter persuaderent. Et isti homines, qui cruciatus, & depressiones Magistri sui offensionis ansam esse judicarent, postmodum injurias, & persecutiones pro eo tolerare jucundum, & summè honorificum esse existimarent. Quanta mutatio! hanc Spiritus sanctus operatus est.

III. Tertius finis, ob quem Spiritus sanctus è Cælo in mundum se demisit, erat, ut eum reprehenderet, argueret, & condemnaret, quòd in Christum Iesum non credidisset. Is tria hominum genera infidelitatis damnabit. 1. Iudæos, dum eos convincet injuriæ, quam admiserunt, dum è manifestis, quæ illorum Messias pro ipsis mortuus edidit, misericordiæ signis ansam offensionis, & ex opere Redemptionis occasionem reprobationis incurrendæ sumpserunt. 2. Ethnicos, quibus ostendet,

*Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, quia in me non crediderunt.*  
*Ioan 16.*  
*v 8. & 9.*

N

det,


**Majus.**

der, quàm cæci, & iniqui fuerint, dum mysteria tot miraculis comprobata, ut rem faruam traduxêre. 3. Denique cõdemnabit infidelitatem, vel potiùs fidem emortuam tot Christianorum, qui, cùm IESUM Christum Deum suum esse cognovissent, non sicut Deum suum glorificaverunt. Quia fidei suæ per mores corruptos infamiæ notam aspersêre, & per improbam vitam veritates, quas se credere profitebantur, impugnârunt. Heu! an non morum tuorum improbitas metum tibi incutit, ne magna hujus condemnationis pars in te cadat?

*Ora Spiritum sanctum, ut in cor tuum descendat completurus consilia, ob quæ in mundum venit, posthabitis obstaculis, quæ ipsis ponis.*

Cùm autem venerit Paraclitus, docebit vos omnem veritatem. *Joan. c. 16. 13.*

Credis in Christum? fac opera Christi, ut vivat fides tua. *Bern. in Cant.*





Majus.

ostendit, quòd flammis hisce divinis calefieri te non permiseris? an non ignis impurus est, quo cor tuum flagrat Spiritûs sancti flammis penitus opposito?

II. Secundus effectus, qui à Spiritu sancto in Apostolorum corda dimanavit, erat ardens studium gloriæ IESU Christi, quod statim eos compulit vniversum orbem peragrare ad eius excellentias ubique publicandas. Et verò divus Petrus simul, ac Spiritum sanctum accepit, Christum tam felici successu prædicare cœpit, ut bonis concionibus ad octo hominum millia, qui in Christum credidère, Ecclesiæ aggregârit. Quis ignorat, duodecim piscatores, viros nullius authoritatis, nullius scientiæ, nullius eloquentiæ, facultatis nullius, sed Spiritu sancto plenos totum terrarum orbem percurrere, aulos gloriam Magistris sui Philosophis, Oratoribus, sæculi Sapientibus, & mundi Principibus, ipsisque Imperatoribus persuadere, hominem in Cruce mortuum Deum esse? O admirabile consilium, executioni tamen datum à duodecim Piscatoribus in seipsis revera imbecillis, sed Divini Pneumatis virtute animatis, & charitate ferventibus, cui impossibile nihil est. Eheu! quò fit, ut zelus tuus pro gloria Dei tam sit exiguus? causa est, quòd

quòd tuus in Christum amor modicus sit. *Majus.*

Amabo, potèstne dici, eumâ te amari, cum nullus hujus amoris in te notetur effectus? potèstne dici, si ita animo comparatus es, te Spiritum sanctum accepisse?

III. Tertius Spiritûs sancti effectus in cordibus Apostolorum fuit animi magnitudo in maximis periculis admiranda, heroica in crudelissimis tormentis constantia. Visi sunt hi Discipuli ad eò timidi, & ignavi, qui Magistrum suum deseruerant, quorum fortissimus, & reliquorum Caput ad unius fœminæ vocem trepidârat, ita, ut Magistrum suum negaret; visi, inquam, sunt, mox, atque Spiritum sanctum acceperunt, leonum instar magnanimi evadere, & maximis periculis hilariter se obijcere, tyrannos provocare, in supplicia irruere, Christum ad extrema usque supplicia prædicare, mortem non modò cum constantia, sed & cum gaudio subire, & testimonium, quod de Magistri sui divinitate dederant, proprio sanguine obsignare. Hic est effectus, quem Spiritus sanctus in Apostolorum cordibus procreavit. An etiam similem in te edidit? Timiditas tua palàm profitendi te Christum sequi, debilitas tua, ubi de contemnendo hominum respectu agitur, ignavia tua in superandis salutis tuæ

**Majus.**

obstaculis sat̄is produnt, fortitudinem re-  
deficere, quæ descensûs Spiritûs sancti  
effectus, & signum est.


*Pete à Spiritu sancto, ut cor tuum accendat  
flammis charitatis. Hoc igne si flagras, nec ze-  
lus, nec animi magnitudo tibi deerit.*

Ignem veni mittere in terram; & quid  
volo, nisi ut accendatur? *Luc. 12. 49.*

Deum non possumus diligere, nisi per  
Spiritum sanctum: amemus ergo Deum  
de Deo. *Aug.*



CON-



CONSIDERATIONES  
CHRISTIANÆ.

*pro singulis Anni diebus.*

J U N I U S.

DIES I.

De Necessitate Fidei.

I.

**D**Eus nos ducere per viam Fidei potuit; cum Magister noster sit; & debuit, cum sit Magister bonus. Hæc via facillima est, cum aliæ omnes difficillimæ fuissent, imò & impossibiles. Vita hominis tam brevis est, & occupationum ejus tantus numerus; quæ sufficiens ei tempus superesse posset examinandis, & penetrandis veritatibus adeò sublimibus, quas Religio nostra proponit? fuissentne tot homines ingenij tam stupidi, intelligentiæ tam limitatæ hujus discussionis capaces? fuissentne ausi viri doctissimi, & perspicacissimi felicem hujus rei sibi successum polliceri? maxima ingenia à tot sæculis dispu-

N 4

tan-

**Junius.**

tando de ala alicujus muscæ se fatigârunt : & tamen ij, qui sincerioris fidei sunt, fatentur, se concipere non posse, quousque ea extendi possit. Qua igitur ratione comprehendere cupient naturam, perfectiones, & operationes ipsius Dei? verum ope fidei ingenium simplex, rudis opifex eas intra momentum æquè, ac doctissimus quisque cognoscit. Et ubi majore pollet fide, magis etiam cognoscit.

II. Via fidei non facillima solùm, sed & tutissima est; quia firmo fundamento, autoritate nempe divina, & veritate suprema nititur. Nulla alia scientiarum certitudo, quantacunque ea sit, eò usque pertingere potest; idcirco quòd semper pendeat à sensibus, qui fallaces sunt, ab experientijs, quæ sunt mutabiles, à ratiocinationibus, quæ multoties parùm justæ sunt, à consequentia, quæ universalis esse non potest, à connexionem effectuum cum suis causis, quæ nobis frequentissime sunt ignotæ. Imò vix ullum fuisse ingenium quantumvis magnum videtur, quod in errores satis crassos non inciderit. Et plerique, si sinceri sint, fateri coguntur, se, postquam longo tempore res naturales, & valdè sensibiles meditati, ac speculati fuère, eò tandem venire, ut paulò congruen-

gruentiùs, quàm fæx populi dubitare de Junius,  
illis queant. At fides me tutum valdè, &  
inconcussum reddit; quòd æquè parùm  
feri possit, ut me decipiam, ac fieri potest,  
ut Deus decipiatur, vel me decipiat. Id  
ego credo, quia Deus hoc certissimum esse  
dixit.

III. Via fidei non facillima duntaxat,  
& tutissima est; sed nec in obscuritate sibi  
innata evidentiâ aliquâ caret, cùm mihi sit  
evidens, me non tantùm prudenter crede-  
re posse, quod ea mihi proponit; sed ne-  
que posse sine extrema imprudentiæ notâ  
non credere, cùm obligatio, quæ mihi in-  
cumbit, veritatibus prorsus evidentibus  
nitatur. An non evidens est, esse Deum,  
eum veritatem esse, & fallere, & falli ne-  
sciam, cùm mihi loquitur? an non evi-  
dens est, eum nobis loqui per miracula,  
quæ sunt voces Dei? an non evidens est,  
eum nobis præcepisse, ut crederemus ve-  
ritates ab ipso per miracula firmatas; quia  
per hæc nobis declarat, se ipsum esse, qui  
ea nobis revelavit? an non saltem morali-  
ter evidens est, eum Religionem Christia-  
nam, & veritates, quas ea nobis proponit,  
multorum testimonio miraculorum con-  
firmâsse; cùm tot viri perspectæ capaci-  
tatis, probitatis, & virtutis, qui si nos de-

Junius.

cepissent, nihil inde commodi sperare poterant, id nobis asseverârunt tam diversis temporibus, & locis, atque insuper proprio sanguine obsignârunt? an non igitur evidens est, me non minùs sapientem, ac prudentem esse in mea fide, quàm liberioris vitæ homines imprudentes, & amentes sunt in sua incredulitate?

*Gratias age Deo de bonitate, qua te direxit per viam tam facilem, & tutam, ut est via fidei.*

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. *Psal. 92. 7.*

Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirat, credente mundo, magnum est ipse prodigium. *Aug. l. 17. de Civit. Dei.*

## DIES II.

## De Mensura Gratiarum.

## I.

**M**ensura quædam est gratiarum, præsertim gratiæ fortioris, & potentioris; quæ, ubi fuerit exhausta, non amplius ferè *Ephes. 4. 7.* est alicujus gratiæ sperandæ locus: unicujque enim nostrum, Apostolo teste, *data est gratia secundum mensuram donationis Christi.* Deus infinitè sapiens omnia in pondere facit, & mensura. *Sinec folium de arbore*

ca-

radit, nisi jussu divinæ ipsius Providentiæ, junius.  
 credimusne eum gratias suas temerè prodigere? certa quæpiam peccatorum mensura est. Quantumvis Deus incolis Sodomæ fuerit iratus, negat tamen, se illos punire posse, idcirco, quòd eorum mensura nondum sit impleta. Civitati Damasce-næ veniam promittit ad tria usque peccata; sed asseverat, quarto peccato mensuram iniquitatis ipsorum complendam, & tum obstruendos misericordiæ fontes. Si mensura peccatorum quæpiam est, erit quoque gratiæ mensura: altera completa non est, nisi exhausta sit altera. Primam appellat S. Paulus thesaurum iræ. Funestus sanè thesaurus! alteram thesaurum misericordiæ; primus impletur, cum secundus est vacuus. An non abusus, quem admisti, tot gratiarum metum tibi incutit, ne mensura tua jam sit exhausta? an non angeris, ne hæc gratia, quam contemnis, sit ultima?

*Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam. Amos. 1.*

*Thesaurizans tibi iram in die ira. Rom. 2. v. 5.*

II. Hæc gratiarum mensura non omnibus statuitur æqualis. Aliquibus enim magna, alijs parva tribuitur. Quadringentis annis opus fuit vitæ sceleratissimæ ad constituendum complementum peccatis Amorrhæorum, & cogendum Deum, ut eos è terra promissa eijceret.  
 Non-

Junius.

*Tentaverunt me per decem vices; non viderunt terram, pro qua juravi Patribus eorum.*  
*Num. 14. v. 22. & 23.*

Non nisi decem peccatis opus fuit, ut Israelitæ ab eadem excluderentur. Mensura Saulis invenitur completa per primum peccatum, quod tamen non adeò magnum videbatur. Mensura Davidis post duo peccata multò graviora impleta non est. Manasses post quadraginta Regni annos in vita prorsus abominanda resipiscit, & scelerum suorum veniam obtinet. Filius ejus Amon paternam imitatur perversitatem, non item pœnitentiam: mensura ipsius impleta deprehenditur post regni biennium. At unde tantum discrimen? O homo, quis es, qui respondeas Deo? quis es, qui audeas è Deo sciscitari, cur sic agat? Ipse est Dominus gratiarum suarum. Ipse misericordiam in te exercet, si eas tibi impertit; justè tecum agit, si eas tibi negat, ad puniendum, quem admittisti, earundem abusum. Per hoc reddere te cupit humilem, per hoc obligare te cupit, ut sis fidelis gratijs, quas tibi concedit; ut justum concipias timorem, ne ista, quam tibi nunc offert, sit postrema.

III. Complementum hujc mensuræ plerumque statuitur per gratiam aliquam insignem, per gratiam criticam, qua si abutimur, actum de nobis est. Magnos effectus misericordiæ magni sequuntur effectus justitiæ

gratiae, & magnam gratiarum abundantiam, cum ijs abutimur, magna derelictio. Potestne major gratia esse, quam illa, quam Deus Saulem beavit, dum eum omnibus alijs posthabitis elegit, ut primus Rex populi sui ungeretur? sed quia huic gratiae fideliter non respondit, quantopere à Deo non fuit derelictus non modò in vita, sed & in morte? quibus gratijs non fuit cumulata Civitas Ierosolymitana toto isto tempore, quo Christus ibidem fuit commoratus? hoc fuit tempus Visitationis, ut ipsemet ait; at illis agnoscere non libuit, quam terribilis strages eos maneret. An non durities tua post tot gratias, quae te ad morum emendationem incitabant, iusta poena est abusus, quem circa eas admisisti? felix es, si etiamnum urgentes hujus gratiae stimulos persentiscis; felicior, si ijs respondes; sed infinite infelix, si iisdem resistis. Eheu! an non addis forsan, huic gratiae te opponendo, mensurae tuae complementum? an non haec sola cogitatio terrorem tibi iniicere debet, & ad fidelitatem te compellere?

*Èd quòd non cognoveris tempus visitationis tuae Luc. 19. 44.*

*Doctrina mensurae gratiarum finienda non est, ut fieri solet, vanis & inutilibus timoribus, sed eò te compellere debet, ut gratiae fideliter respondeas.*

Im-

Junius.

Implete mensuram Patrum vestrorum,  
Matth. 23. 32.

Esse certum peccatorum numerum, at-  
que mensuram, ipsius Dei testimonijs com-  
probatur. Aug.

## DIES III.

## De Fine Hominis.

*Iustum est, ut Homo serviat Deo,  
quia ipse est Redemptor.*

## I.

SI totus penitus Dei esse debeo, quod  
Creator meus sit, majore profecto jure  
ipsius esse debeo, quod Redemptor meus  
sit; dum pretio sanguinis sui me redemit.  
Mancipium aliquod totum ad Dominum  
suum spectat ab eo tempore, quo is illud  
emit. Mancipium nihil habet proprii.  
Bona, libertas, vita, verbo, omnia Domi-  
ni sunt; nec illud quidquam de ulla re sta-  
tuere potest. Quod plura Dominus ex-  
pendit, ut illud sibi compararet, eò majore,  
justioreque titulo ad ipsum pertinet.  
Quid Christus Dominus non expendit, ut  
me redimeret? proprium sanguinem, qui  
pretij est infiniti: an non etiam ipsius esse  
infinities obligor? si mundum ad me redi-

men-

mendum dedisset, an non ad ipsum spectarem? jam verò aliquid dedit, quod infinities plus valet, ut me possideret, quia vitam suam dedit.

II. Non amplius tuus es, inquit Apostolus; quia redemptus fuisti, non pretio auri, sed pretio sanguinis ipsius Dei: an non igitur totus ipse esse debes? & tamen etiamnum potes totus esse tuus? Væ tibi, si res ita se habet; deterioris enim Domini esse non potes. Mundus, ut te possideret, nihil, aut certè modicum quid dedit; cur igitur ei dare te cupis? is fur est, inquit Christus, qui non venit, nisi ut te mactet. Et tu ei te credis? Christus legitimus tuus est Dominus; qui te habere non desiderat, nisi ut vitam tibi det, & æternum te beatum reddat: & ei te negas? an non temeripsum perdis, dum te non penitus donas illi, qui solus felicitas tua esse potest?

III. Domine, servus tuus sum ego. Et hoc mihi honori duco. Plurimo tibi iterit, ut me obtineres. Felix servitus, quæ mihi libertatem affert, & è servitute diaboli me eripit. Felix subjectio, quæ, dum me Deo meo subijcit, Dominum mei, & mundi me reddit. Infelix hætenus fui, dum jugum tuum excutere volui, ut crudeli mundi, & diaboli jugo me submitterem. In-

fe-

Junius.

Non estis vestri. 1. Cor. 6. 19.

Io. 10. v. 10.

Psal. 118. 5. v. 25.

Junius.

felix fui, qui toties cum fatuo illo dixi :  
*Non serviam.* Recipe Domine servum fugitivum, qui, cum fugæ eum suæ pudeat, aut rebellionis pœniteat, voluntariè denudò tuis se compedibus inserit, nunquam in posterum eas rupturus : felices catenæ, quæ tibi me alligando de tyrannide immoderatorum meorum affectuum me liberabunt!

*Confundere, quòd, cum tanto pretio Christo steteris, necdum te serio ei donaveris, sed mundi, qui nihil pro te expendit, totus fueris.*

Non estis vestri ; empti enim estis pretio magno. 1. Cor. 6. 19.

Si totum me debeo pro me facto, quid addam pro me refecto, & refecto tali modo? Bern.

## DIES IV.

## De Morte.

*Mortem non immoderatè timendam.*

## I.

**C**UR mortem tantopere formidemus ? peccata nostra, verum est, terrere nos possunt ; sed consideratio satisfactionum, & meritorum Christi timorem mihi eximit.

Junius

mit. Peccata nostra etsi grandia sint, & innumera, infinita tamen non sunt, & virtus meritorum Christi immensa est. Mala mea gravia sunt; ego tamen in sanguine Servatoris remedium malis meis longè denique potentius invenio. Debeo, exempli causa, decem millia talenta justitiæ Dei; sed licèt summa hæc quasi immensa sit, fieri tamen non potest, ut solvendo non sim; cùm penes me sit pretium sanguinis Iesu Christi, quod infinitum, & immensum est. Quin etiam affirmare ausim, me plus, quàm debeam, Deo solvere, si hunc ei sanguinem offero; nec timeo, ne is veniam peccatis meis neget, si eam per merita filij flagito. An is, qui suum mihi filium donavit, quidquam mihi negabit?

II. Cur mortem formidemus? judicia Dei timorem mihi incutiunt, haud infior; sed misericordiæ ipsius me solabuntur. An is misericors minùs, quàm justus est? si justitia timorem mihi inijcit, an non misericordia eo me liberabit? Si justitiam ipsius verear, in ipsius tamen misericordia mihi sperandum, cùm ipsemet me doceat, misericordiam suam justitiâ potiore esse. Motiva misericordiæ è proprio fundo deducit, justitiæ verò è nostro desumit, quævis suum habet impe-

*Superexaltat autem misericordiam suam iudicium. Iacob. 2. 13.*

rium

lix: m fu- deat, è de- quam enæ, mmo- bera-  
Christo mundi,  
pre- quid i mo-  
dam,  
nus? e nos num, i exi nit.

Iudius.

rium. In vita imperat misericordia, in morte imperium penes justitiam est. Si in vita ad misericordiam confugimus, si ad eam habemus fiduciam, quæ temeraria non sit, justitia post mortem formidanda nobis non est. Si salus mea ex hominum mihi omnium amicissimo penderet, quietus viverem. Verum, inveniturne amicus tantopere mei amans, ut Christus, qui vitam pro me dedit? salus mea ex generoso hoc amico penderet; & immoderato timori me dedam? an non hoc est ei injuriam inferre?

III. Cur mortem tantopere formidamus? hostes terribiles, verum est, nobis tunc insidiantur, omnes dæmonum conatus sustinere nos oportet; qui summæ sibi felicitati ducunt, socios nos infelicitatis suæ reddere; at nihilominus, quantumvis eorum rabies violenta, quantumvis eorum conatus formidabiles sint, in Beatissimæ Virginis protectione spem eos evadendi habemus admirabilem. Ejus potentia, & benignitas illorum furorem, & conatus longè superant. In ejus corde inveniemus asylum, ubi ab omnibus illorum jaculis erimus tuti. Si Maria me tueretur, infernum non formido; cum vel solum ejus nomen dæmonibus incutiat terrorem. Et dubitare possim, an ea partes meas de-

ferre

sendat, cum sit mater mea, & omnium <sup>Junius.</sup>  
matrum optima? Peccator sum, miser sum,  
inficias non eo: verum hoc me non impe-  
dit, quin sperem, quandoquidem ipsa pec-  
catorum refugium, & misericordiae mater  
est.

*Si immoderato mortis timore turbatus fueris,  
reminscere misericordiae divinae, meritorum  
Christi, & protectionis Beatissimae Virginis,  
ad excutiendum timorem.*

Ecce Deus, Salvator meus, fiducialiter  
agam, & non timebo. *Isa. 6. 12. 2.*

Ille desperet, qui tantum peccare potest,  
quantum Deus bonus est. *S. Aug.*

---

## DIES V.

### De Judicio.

*Deum erga reprobos justum esse, judi-  
cium demonstrabit.*

#### I.

**C**hristus iudex ad comprobendam suam  
cum reprobis agendi rationem officio  
Judicis sociabit officium Servatoris. Vul-  
nera sua in corpore suo glorioso conserva-  
bit, crucem suam a gloria undique radian-  
tem publicè monstrabit. Hæc sunt illu-

O 2

stria

Junius.

stria amoris, quo in peccatores ferebatur, instrumenta; hæc illos ad gratam beneficiorum memoriam allicere, eisque salutem afferre debebant; quia verò omnibus hisce amoris testimonijs, omnibus beneficijs ingrati moveri se non sunt passi, quia tot salutis suæ instrumentis sunt abusi, vertentur hæc in argumenta, quibus Dei erga peccatores justitia comprobabitur, & in instrumenta eorum condemnationi servitura. Quàm terribilis erit sententia, quæ ab ore Servatoris proferetur, quàm graves erunt ictus, qui à manibus cruci affixis infligentur? hi non fulgura duntaxat erunt, sed fulmina, quæ de lucidis ejus vulneribus evibrabuntur, ad obterendos ingratos peccatores, qui toties ea sceleribus suis renovârunt. *Ante faciem indignationis ejus quis stabit?* Nahum. i. v. 6.

II. Christus IESUS coram toto orbe se purgabit, omnésque homines contestabitur, per se non stetisse, quò minùs omnes salutem æternam consequerentur: *judicate, dicet ipsis, inter me, & vineam meam, quid potui facere, & non feci? Potuine aliquid pro salute vestra præstare, quod non præstiti? humanam carnem pro vobis assumpseram, dicet reprobis; eam vobis consecraveram, & vos eam millies sacrilegijs vestris pro-*  
pha.

Isai. 5 v. 3.  
& 4.

phanâstis; pro vobis sanguinem meum ad Junius  
ultimam usque guttam profuderam, & vos  
eum per scelera vestra pedibus proculcâ-  
stis. Cor habui: id amore vestri trans-  
fixum fuit, ut exuberantiam amoris mei  
vobis demonstrarem, & simul asylum a-  
perirem: Verùm inde voluntariè vos ex-  
clusistis, dum me è corde vestro ejecistis.  
Gratijs meis vos præveni, beneficijs meis  
vos cumulavi, sine intermissione vos quæ-  
sivi; sed gratias meas contempsistis, bene-  
ficijs abusi estis; meam in vobis quæren-  
dis assiduitatem repulistis: & qua de causa?  
ut creaturam aliquam mihi præferretis;  
cùm illa pro vobis mortua non fuerit, sicut  
ego; ut mundo vos addiceretis, qui mihi,  
& vobis inimicus erat, & ego Servator  
vester eram; ut obediretis dæmoni, qui  
nihil præter infernum vobis dare poterat;  
& ego cælestem Paradisum vobis pollice-  
bar. Quid reponitis ad exprobrationes a-  
deò terribiles?

III. Noli, Domine, expectare, dum  
justa hæc probra in me conijcias die illa  
formidanda, dum ea non potero allatis ex-  
cusationibus à me amovere; nec ad miseri-  
cordiam tuam confugiendo me tueri. No-  
li hujusmodi exprobrationes ad illud us-  
que tempus differre, quo id nonnisi ad mei

O 3

dam-


Junius.

damnationem facies; sed id modò fac, cum exprobrationes salutem mihi afferre possunt, cum per justum timorem, quem mihi incurient, movere me possunt, ut ea præveniam, eliminando causas, quæ te ad id faciendum compellunt: sed nunc illas mihi obijce modo acri, & penetrante, qui per sinceram contritionem cor meum frangat, animam meam amaritudine, & salutaris confusione repleat, meque aptum reddat ad iram tuam mitigandam, misericordiam tuam obtinendam, justitiámque tuam nunc minùs formidandam.

*Statue suscipere partes Dei causam contra te agentis; hoc enim medium est securum evitandi sententiam condemnationis in extremo iudicio.*

Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis ibi. *Ioël. 3. 2.*

Vis non timere diem occultum? inveniat te paratum *Aug.*



DIES

DIES VI.  
De Inferno.

## I.

**I**nfernum sui meritis. Ah potens incitamentum, quo ad gratam beneficiorum memoriam animer! ignis inferni, (quis crederet?) medium esse potest ad accendendum in cordibus nostris divini amoris ignem. *Infernum sum meritis*, quotiescunque delictum grave admisi; & Deus ab illo me toties liberavit, quoties illum meritis sum, nec eò me condemnavit. Quanta igitur obligatio mihi incumbit, Deum, qui tantam infelicitatem à me avertit, amandi! si Deus è damnatorum manibus aliquem nunc ab igne illo, quo torquetur, liberaret; quantopere is Deo foret obstrictus? quam gratum se ipsi exhiberet? an ego minùs ipsi obstrictus sum, quòd ab illo incurrendo me servarit? an hujus beneficij minùs esse memorem me decet? quàm multi istorum miserorum post unicum duntaxat peccatum mortiferum ad inferos fuere præcipitati? ego post plura centenùs, vel etiam millenùs eò detrusus non sum. Quanta misericordia! unde tanta bonitas

Junius.

in unam, tantus rigor in alteram partem proficiscitur? de hoc mihi non constat. Hoc scio, me istam misericordiam non fuisse promeritum, & severitatem in malos illos exercitam eò solummodò collimare, ut clementia divina erga me clarius elucescat, meque, si eidem fuero ingratus, excusatione minùs dignum reddat.

II. *infernum meritis sum.* Ah potens incitamentum, quo ad pœnitentiam agendam animer! dicere cum Iobo possum: *infernus domus mea est.* Iste est locus, in quo esse me oporteret, si Deus, uti meritis sum, in me animadvertisset. Sic est; hi ignes, hæc opprobria, hæc tormenta æterna hæreditas mea forent, nisi Deus potius vocem misericordiæ, quàm justitiæ suæ, & scelerum meorum audisset. Ut verum fatear, an difficile mihi accidat, pœnitentijs, quas Confessarius mihi injungit, vel crucibus, quas Providentia divina immitit, me subijcere, si cogitem, eas substitui pœnis æternis, quas meritis sum? an depressiones vitæ pœnitentis mihi austere videantur, si cogitem, eas vices obire opprobriorum æternorum, ad quæ toleranda condemnandus eram? Omnia credi suavia debent homini, qui infernum meritis est, & probè meritis est. Si pœnitentiæ le-

vis-

vissimæ terrorem tibi incutiunt, inde ori- Junius.  
tur, quòd pænarum æternarum sis inemor.

III. *infernum meritus sum; & ignoro,*  
an non etiamnum merear. Ah ingens  
timoris causa! Ah ingens me demissè  
gerendi motivum! qua ratione scio,  
an non prævisus sim, ut evadam olim vi-  
ctima ultriculum istarum flammaram? ni-  
hil me ab ijs reddere securum potest. Ho-  
mines sanctissimi nihil habent, quò ab ijs  
reddantur tuti. Quid igitur de me sen-  
tire me oportet, tot, tamque gravium sce-  
lerum reo? an non hæc incertitudo me con-  
tinere in timore, & animi dolore ob admis-  
sas noxas deberet? si hisce me occuparem,  
dederimne me, uti facio, puerilibus nugis,  
stultis lætitijs, ridiculis vanitatibus? con-  
venitne hoc homini, cui infernus inten-  
ratur? si necessarium esset, me vivum tu-  
mulo cujdam includere, ibique vitam in  
omnibus, iisque severissimis pœnitentiæ  
exercitijs transigere, ut ab isto timore me-  
ritum præstarem, possimne vel ad mo-  
mentum hæere dubius? longè minus  
quid à me exigitur; nempe unius immode-  
rati affectûs, unius inordinatæ cupiditatis  
compressio: & hoc non faciam? quomo-  
do mea agendi ratio fidei meæ respondet?

Iacobi.

*Si difficile tibi acciderit, crucem aliquam; pœnitentiam, vel tui depressionem ferre, dic tibi timet ipse: quid omnia hæc sunt, inferno, quem meritis tui, comparata?*

*Nisi, quia Dominus adjuvit me, paulò minùs in inferno habitâsset anima mea. Psal. 93. 17.*

*Vigilias times, & jejunia; sed hæc levia sunt meditati flammæ æternas. Bern. Ep. 1.*

## DIES VII.

## De Obstaculis Salutis.

*Negotium Salutis difficile est.*

## I.

**S**alus negotium est difficile. Cur id diffimulem, cum Servator id nobis in Evangelio tam apertè declararet, nec ullant hac in re optionem nobis relinquat? hæc est illa vinea summo studio colenda, si velimus, ut fructum ferat. Hæc est ager ille, in quo ardentissimè laborandum; cum hic permissum non sit, rebus levioribus se occupare, vel retrò respicere. Hæc est thesaurus ille absconditus, qui inveniri non potest, nisi priùs terram probè fodiamus.

Luc. 9. 62.

Matth. 13.

44.

mus. Hæc est negotium illud, in quo nulli parcendum curæ ad comparandum talentis suis pretium. Hæc est pretiosa illa Margarita, quæ, si eam non habeamus, omnium bonorum nostrorum impendio emi, & si jam acquisitam per grave quoddam infortunium amiserimus, summa sollicitudine quæri meretur, licet ad eam recuperandam omnia forent susque, deque vertenda. Hæc est via illa aspera, quam ingrediendi pauci habent animum; hæc est angusta illa janua, per quam difficilis est ingressus. Poteratne Servator hanc veritatem clariùs nobis exprimere, quàm per omnes hæc parabolas, & similitudines fecerit?

II. Itaque salus negotium est difficile. Et verò quot in eo obstacula non occurrunt? quot inimici eam non impediunt? obstacula ex parte immoderatæ cupiditatis, quam domare; violentarum animi commotionum, quas moderari; sensuū effrenatorum, quos reprimere; consuetudinum inveteratarum, quas radicitus evellere; rerum nobis occurrentiū non minùs funestarū, quàm jucundarum, quas fugere, periculosarum occasionū, quas vitare, gravium impedimentorū, quæ perfringere oportet. Quanta constantia, quanta vi ad hæc omnia;

Junius.

Matt. 18.

v. 16.

Matt. 13.

Luc. 13. 2.

**Junius'**

omnia, quanta animi magnitudine, ad confingendum cum hostibus, qui salutem nostram adversantur, non est opus? Caro, hostis domesticus, tantò magis formidandus, quantò minùs eum formidamus; tantò periculofior, quantò magis eum fovemus. Mundus, qui axiomatis suis nos pervertit, qui suis promissis ad se allicit, qui suis exemplis ad se nos abripit; Dæmon, hostis potens, & versutus, vigil, & crudelis, ejus negotium est nostra pernicies, dum salus nostra cordi nobis non est. An non igitur salutis negotiũ difficile est? an ea homines vel socordes, vel timidos desiderat?

**Matt. 11.**

III. Propterea SS. Litteræ nobis dicunt, cælum non nisi vi occupari, magnis conatibus, perpetuis vigilijs opus esse, ut eò admittamur; cælum esse coronam;

**2. Tim. 2.**

verùm certandum esse, ut eam promereamur; nullum tædio dandum esse locum,

**Hebr. 12.**

sed motionibus animi ad sanguinem usque resistendum. Exigitur à nobis violentia continua adversus animi nostri affectiones, ut salutem obtineamus; & nos semper earum propensiones sequimur; exiguntur magni conatus; & torpescimus: exiguntur vigilantia assidua, & obdormiscimus; jubemur pugnare; & fugimus: jubemur inclinationibus nostris ad sanguinem usque

re-

resistere; & illis cedimus. Quæ isthæc omnia conveniunt cum sincero salutis desiderio? amabo, quis dicat, nos salutem nostram cupere, si omnia penitus contraria agamus ijs, quæ nobis præcipiuntur? si in mundo essemus non minùs ad nos perendos, quàm ad salutem æternam consequendam, an secus ageremus?

Iunius.

*Cùm salutis negotium tam difficile sit, statuamus omnes vires nostras impendere ad felicem ejus exitum obtinendum. Sequamur Christi monitum, quod ipsemet hac super re nobis suggerit: contendite intrare. Magna vi opus est, si viam salutis adire cupitis.*

Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. *Matth. 11. 12.*

Tantum proficies, quantum tibi vim intuleris. *Imit Christi.*

---

## DIES VIII.

### De Peccato Mortali.

*Peccatum est unicum Hominis malum.*

#### I.

Omnia alia mala possunt esse bona: nec quidquam est, excepto peccato, quod semper malum sit; cùm id omnibus

ve-

Junius.

veris bonis nos semper privet. Itaque hoc unicum propriè malum nostrum est.

I. Peccatum gratiam Dei nobis eripit; quantum bonum! hoc tantum est, ut præter Deum nemo id nobis conferre possit, ejusque pretium nôrit; nemo est præter unum Deum, qui gratiam mihi mereri poterit; eamque mereri nonnisi pretio sanguinis sui voluerit. Gratia est bonum, quod mihi affert omnia bona, hæc me reddit amicum, filium, & hæredem Dei. Hæc mihi tribuit jus prorsus certum ad ipsius Dei possessionem, in qua suprema consistit felicitas. En! quid perdam, si per peccatum perdo gratiam. Si mundi perderem imperium, tanta non perderem. Illa tantum valet, quantum omnis sanguis Dei ipsius, ac proin pretij est infinitus. Et ego illius jacturâ non movear, imò & cum gaudio feram? quantum mihi doloris iniquum hoc gaudium feret?

II. Perdendo gratiam omnia perdo merita, quæ collecta habere poteram. Si merita haberem omnium Martyrum, & Sanctorum, ea omnia per unicum peccatum grave perdo. Quanta foret desperatio hominis alicujus, qui, cum divitias immensas coacervâisset, easque navi commisisset, dein illam naufragium facere con-

spi-

spiceret, portum jamjam ingressuram? Iuuius,  
 an desperatio tua minor esse debet? foréne  
 ea minùs iusta, dum per unicum peccatum  
 lethiferum perdis omnia, & tua, & Chri-  
 sti merita, quæ tibi per gratiam evasère  
 propria? Præterea peccatum omnia bona  
 opera reddit inutilia; si haberem, inquit  
 Apostolus, fidem adeò vivam, ut montes  
 transferrem, animum tam generosum, ut  
 omnia bona mea pauperibus elargirer,  
 mentem tam heroicam, ut corpus meum  
 in ardentissimas flammis conijcerem, si  
 gravioris peccati reus sum, si gratia careo,  
*nihil mihi prodest.* Omnia bona, quæ quis

1. Cor. 13.

possidet, perdere, nihil eorum recuperare  
 posse, status est hominis in peccato consti-  
 tuti. Potéstne status concipi miserior?

III. At, ubi per peccatum perdimus  
 gratiam, plus, quàm hæc omnia perdimus;  
 perdimus Deum, & Deum perdendo, omnia  
 perdimus; si omnia mundi bona possiderem,  
 si Deum perdo, omnia mihi periére. Et si bo-  
 na universa hujus orbis perderem, nihil ta-  
 men perderem, dummodò Deum posside-  
 rem. Id, quod Paradisum facit, est in eo  
 Deum possidere; id, quod infernum facit,  
 est in eo Deo privari. Deus ipse, ut nos  
 doceret, quid infernus sit, inaudita de-

claratione utitur: *voca nomen ejus: non popu-* Ose. 1. 9.

IHS

Iunius.

*lus meus.* Dammati enim non amplius populus meus sunt, & ego non Deus eorum. Vel si etiamnum Deus ipsorum sum, non nisi ipsorum hostis, & persecutor sum. Et si ipsi sunt mei, non nisi vindictarum mearum victimæ sunt. Idcirco anima hominis, quæ peccato commisso Dei jacturam fecit, species quædam inferni est, & talis reapse foret, si æternum in hoc statu peccati foret. Possidendo gratiam, Deum possidere, quàm beata fors! Deum per peccatum amittere, quanta miseria! verum hanc jacturam nihili pendere, omnium miseriarum deterrima est; hanc insuper jucundam, felicemque reputare, amentia est; quam quidem non comprehendimus, quotidie tamen experimur. Ab hac me Domine defende; vel si in eam incidam, ab eadem me libera.

*Statue potiùs omnia mala perpeti, quàm peccatum admittere, cum omnia alia mala non sint mala, vel certè levia, si malis, quæ peccatum nobis affert, comparentur.*

Scito, & vide, quia malum, & amarum est, reliquisse Dominum Deum tuum. *Ierem. 2. 19.*

In te, & ex te ipso flagellum tuum. *Aug in Psal 95.*

DIES

## DIES IX.

## De Peccato Veniali.

## I.

PLUS ignominia Deo inferimus per unicam, quantumvis levem noxam, quam honoris ei adhibere possemus omnibus, iisque sanctissimis, & summè heroicis actibus. Majestas Dei, & distantia infinita, quæ ipsum inter, & nos intercedit, valdè imminuit magnitudinem boni, quod ipsius amore præstamus, & infinitè auget magnitudinem mali, quod contra ipsum perpetramus. Si ei serviamus, facimus, quod debemus, & semper longè minùs, quàm debeamus, atque infinities minùs, quàm ipse mereatur. Et si fecissemus omnia, fatendum nobis esset, nos servos inutiles esse. Verùm, cùm eum offendimus, obligationes infinitas missas facimus, quibus ei servire, & placere obstricti sumus, quo facto aliqua ratione infinitè ingratos nos demonstramus. Luc. 17. 10

II. Rex aliquis plus offenditur convicio, quod subditorum aliquis ei facit, quàm omnibus clientelaribus honoretur officijs, quæ ab eodem præstantur. Ob unicum

**P** pecca

Junius.

peccatum leve Deo magis displicemus, quàm ipsi placere possimus ob omnia officia, & obsequia, quæ ipsi exhibere possumus. Si maxima quæque agerem, si difficillima quæque in me susciperem, si asperissima quæque pro Deo tolerarem, si eius gloriam majori cum emolumento promoverem, quàm omnes Apostoli promoverint, minùs ipsum honorarem, quàm ignominia per unicum peccatum leve eidem afferam: idcirco licitum non est, vel unicum parvum delictum admittere, ad comparandam maximam Deo gloriam, licet de Conversione ad veram fidem totius vniversi ageretur.

III. Cùm faciebas, vel omittebas bonum aliquod ex hominum respectu, vel cum vana mentis oblectatione eidem immorabaris, cùm mendacium aliquod proferebas, cùm levem obrectationem tibi permittebas, cùm modicum hoc corporis oblectamentum, hanc in æde sacra irreverentiam, voluntariam hanc in precibus evagationem mentis tibi indulgebas; credidistine, persuasistine tibi, te plus irreverentiæ Deo exhibere, quàm omnes Sancti honorare eum possent per sui subjectiões, adorationes, & actus etiam generosissimos? quantopere ista cogitatio reprimere

re debet vanas oblectationes, quæ in animo <sup>inuis</sup>  
nostro exurgunt ob bonum, quod facimus,  
nostramque confusionem, & dolorem de  
omnibus peccatis venialibus, quæ com-  
mittimus, augere. Si ita res habet, quan-  
tiscunque virtutibus homo præditus esse  
videatur, quantacunque pro Deo agat,  
si vel unicum peccatum veniale admisisset,  
possétne de illis, nisi cæcus, & injustus ha-  
beri veller, vanè sibi adulari?

*Assuesce omnia bona, quæ facis, spectare, ut  
rem modicam; & omnia mala, quæ agis, etsi le-  
via esse videantur, quasi semper maxima forent;  
idcirco, quòd tantum Deum offendant.*

Cùm feceritis omnia, quæ præcepta  
sunt vobis, dicite: servi inutiles sumus.

*Luc. 17. 10.*

Nunquam excusatur, quod Deus da-  
mnat. *Tertull.*

## DIES X.

### De Duritia Cordis.

#### I.

**D**Eus, & Homo conferunt operam suam  
ad cordis duritiam. Homo ejus ini-  
tium facit, Deus finem imponit: homo  
peccatum committendo, Deus puniendo;

P a ho-

junior

homo luminibus gratiæ resistendo, Deus lumina sua subtrahendo, ut hanc resistenciam ulciscatur; homo injustus, & malus est, seipsum obdurando; Deus justus, & sanctus est, duritiem peccatori inducendo. Cæcitas animi causa est duritiæ cordis, duritia cordis supplicium est cæcitatibus animi. In alijs pænis Deus punit, ut pater; at, cum hominem duritiâ castigat, punit, ut hostis. In alijs pænis Deus mitigari cupit, & peccatorem impellit, ut eum mitigare velit; in hac Deus vindictam cogitat, & peccatori curæ non est, eum mitigare. Aliæ pænæ non raro delictorum pœnitentes reddunt, hæc non nisi reprobos efficere potest. Durities est quædam reprobatio inchoata. Hanc si non formidas, Væ tibi! signum enim est, ejus te participem esse.

II. Duritas cordis horrendos effectus habet. Lumen cor durum non illuminat, sed excæcat. Brachium Dei, eum illud castigat, potiùs id ad rebellionem inducit, quàm sibi subijciat. Flagella, quæ Deus ei immittit, id opprimunt, nec tamen verè humile, Deoque subjectum reddunt; miracula illud terrent, sed non emendant. Cor obduratum facit quidem, ut Dei Majestas manifestetur; sed hoc contingit, cum effectus divinæ justitiæ, non verò gratiæ  
mille-

miseri- Junius  
cordiæ persentiscit. Deus non mi-  
nus magnum se demonstravit, dum Pha-  
raonem punivit, quàm dum Nabuchodo-  
nosorem ad frugem reduxit. In isto o-  
stendit magnitudinem misericordiæ suæ,  
in illo magnitudinem potentiæ, & justitiæ  
suæ. Utrius horum mavis esse socius?  
Cor induratum, quò magis indiget reme-  
dijs, eò magis ea timet, & respuit. Ah!  
si ijs uteretur, inutilia, imò & funesta ei  
forent; malum enim ipsius exacerbarent,  
non sanarent. An non aversio, qua ab  
hisce remedijs abhorres, eorumque inuti-  
litas, cum ijs uteris, causam tibi præbent  
timendi, ne sis in hoc misero statu?

*Insanabilis  
est fractura  
tua. Ierema*

III. Visne signa cordis obdurati cogno-  
scere? S. Bernardus ea tibi suggerit. Cor  
durum, inquit, est cor, quod non frangi-  
tur per compunctionem, quod non emol-  
litur per orationem, quod non cedit mi-  
nis, quod sub iectibus induratur, quod be-  
neficijs divinis ingratum, & gratijs infi-  
dum est. Non erubescit de rebus turpif-  
simis, non terretur periculosissimis; erga  
fratres est inhumanum, reverentia, & ti-  
more Dei caret, præteritorum obliviscitur,  
præsentia negligit, futura non prævidet,  
immemor denique muneris sui, & tandem  
sui ipsius est. En effigiem cordis indurati;

3<sup>o</sup> v. 12.  
*Consid. l. 13  
c. 31*

P 3

quàm

Junius.

quàm horrenda imago! an non hæc tua est?  
si omnia ejus signa non habes, an non sal-  
tem aliqua in tua vivendi ratione agno-  
scis?

*Examina te, quin tibi aduleris, an non ali-  
qua cordis indurati signa in te deprehendas; si  
qua invenis, dummodo metuas, malum imme-  
dicabile non est.*

Hodie, si vocem ejus audieritis, nolite  
obdurare corda vestra. *Psal. 94.*

Quæris, quid sit cor durum, si non ex-  
pavescis, tuum est. *Bern. l. 1. de Confid.*

## DIES XI.

## De Vana Gloria.

## I.

**I**Nanis gloriæ amore nihil est iniquius:  
si enim æstimationem, & laudes homi-  
num comparare mihi cupio; contingit id  
vel ob naturæ dotes; & hæc frivola quæ-  
dam vanitas est: cur enim glorier de bono,  
quod à me ipso non habeo, sed commoda-  
tò accepi; juxta illud Apostoli: *Quid habes,  
quod non accepisti? si autem accepisti, quid  
gloriaris, quasi non acceperis? vel ob actio-  
nes bonas, & virtutes.* Et hæc vanitas  
peri-

periculosa, & iniqua est. Vel enim eae <sup>[unius]</sup> sunt virtutes in speciem, vel verae? si non sunt, nisi in speciem, erubescendi mihi potius, quam gloriandi causam praebent. Si verae sunt, Deus per gratiam suam precipuusearum author est, me non nisi parum ad eas conferente. Si bonas hasce actiones facio ad aucupandam auram popularem, virtutes meae in vitia, & opera bona in peccata degenerant. Si Deo simul, & hominibus placere desidero, forsitan hominibus non placebo, & Deo plane displicebo; nec ullum ab eo sperare meritum possum. Si hominum laudem non quidem sectari cupiam, eam tamen delecter obtenta, meritum quidem non perdo, non parum tamen imminuo.

II. Inanis gloria Deo est injuriosa. Nemo praeter Deum est, quem gloria deceat. *Soli Deo honor, & gloria.* Bonum hoc, cum sibi soli servarit, abalienare non potest. Vult quidem is omnia alia sua bona, imò & semetipsum nobis impertire; gloriae vero suae neminem vult habere consortem: eam dividere velle, est eam ei subtrahere velle. Quicumque vel minimam ejus partem sibi arrogare cupit, eum sacrilegum ejusdem usurpatorem Deus reputat. Deum non agnoscit, qui censer alium esse praeter

1. Tim. 20

Gloriam  
meam alteri  
non dabo.

Isa. 42.

Junius.

rer Deum, qui gloria dignus sit: Deum contemnit, qui favorem hominum non contemnit, quo favorem Dei mereatur, non nisi hoc pretio comparandum. Præterea injuriâ Deum afficit, qui mavult ab hominibus, quàm Deo æstimari: si quid enim ago ad captandam hominum æstimationem, Dei æstimatione excido; hoc est, in periculum conijcio æstimationem illam, quæ veri meriti est regula, ad aucupandam inanem, frivolum, cæcæ æstimationem, quæ nec felicior, nec melior, sed potiùs ab eo tempore, quo eam quæro, deterior, & quod consequens est, infelicior me reddit. Dignum sanè tali dementia præmium, quæ respectus hominum divinæ præfertur voluntati.

III. Inanis gloria homini funesta est, idcirco, quòd multas difficultates eum subire cogat. Gratia plures austeritates subeundas non injungit generosissimis penitentibus, non plus sollicitudinis, & moderationis inspirat ferventissimis Religiosis; non majores labores imponit viris Apostolicis, quàm inanis gloria suis mancipijs. Præterquam quòd futilis hæc gloria, quæ hominem omnibus hisce supplicijs subijcit, omnibus illorum fructibus privet.


Que-

Quemadmodum enim, ut scriptura ait, Junius non nisi ventū seminavit, sic nihil nisi venturum meriti. Verū non duntaxat eum laborum suorum fructu privat, omnibusque spoliat meritis, quæ consequi poterat; sed & bonum in malum convertit, & quod meritum afferre poterat, damnationem creat: inanis gloriæ amor invenit arcanum quoddam, hominem ad inferorum pænas detrudendi per viam, per quam eum evehere ad Cælum poterat. An funestius quid excogitari potest? possūmne nimium horrore concipere à vitio, quod fructus tam acerbos parit?


*Frequenter Deo dicito cum Propheta in occasionibus, quæ inanem tibi gloriam inspirare possunt: Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam.*

*Soli Deo honor, & gloria. 1. Tim. 1. 17.*

Qui pro virtute, quam agit, humanos favores desiderat, rem magni meriti vilis precio venalem portat. *Greg. c. 8. Moral.*



Junius.



## DIES XII.

## De Respectu Hominum.

## I.

**M**agna fide opus est ad credendum, hominem cruci affixum esse Deum; sed ratione careat, necesse est, qui illum Deum esse credit, & tamen ei servire, seque ejus subditum publicè profiteri erubescit. Christum Magistrum, Deumque tuum esse fateris; imò id ipsum tibi honori ducis; & tamen horres fateri, te ipsius servum, & discipulum esse. Potèstne quis imprudentiùs agere? Profiteris te Christianum; & bonus Christianus videri erubescis. Ubi est ratio tua? gloriosum tibi esse credis, quòd elegans hoc nomen portes; & confunderis, cùm ejus munus publicè implere videris. Quanta animi levitas? In Christum credere, & ipsius Evangelium erubescere; ejus legem æstimare, & vècundari tamen id exercere, doctrinam ipsius profiteri, & ab ejus exemplis abhorere; fidem Christiani habere, & vitam Ethnici ducere, est in Spiritum Sanctum peccare; est veritatem in injustitia retinere; est animo apostatam esse. An non talis es?

## II. Quòd

II. Quòd ethnico cuiquam difficile acci-  
 dat, credere hominem in patibulo mor-  
 tuum esse Deum, non miror. Ipsius in-  
 credulitas excusationem utcunque admit-  
 tere videtur. Verùm, quòd Christianus,  
 qui eum Deum esse agnoscit, in medijs ejus  
 opprobrijs eum adorare, eumque Deum  
 suum publicè profiteri erubescat, nec con-  
 cipi, nec excusari potest. Erubescésne  
 in die judicij, te ad Christum pertinere,  
 cum electis ad ejus dexteram statui? an non  
 id honori tibi duces? cedo; cur igitur  
 nunc dedecori tibi ducis, cur difficile tibi  
 accidit servis ipsius annumerari? an non  
 pertimescis minas filij Dei? *Quicumque eru- Luc. 9.*  
*bescit me coram hominibus, erubescam illum*  
*coram Patre meo.* Quicumque me Domi-  
 num suum agnoscere publicè noluerit,  
 hunc ego publicè negabo, servum meum  
 esse. Quantopere tunc te pœnitebit, pu-  
 debitque perverſæ tuæ verecundiæ? quo  
 pretio tunc eam redimere velles? cur id  
 modò non facis, cùm potes? cur non pa-  
 lām, & intrepidè te Christi esse profite-  
 ris?

III. Respectus hominum filio Dei mor-  
 tem attulit. Pilatus perspecta ipsius inno-  
 centia, & Iudæorum injustitia fortiter se  
 opposuerat tam illorum persecutionibus,  
 quàm

yūnius.

quàm clamoribus mortem ejus postulanti-  
um; at simul, ac ei Cæsaris indignatio-  
nem minitanti sunt, timori, gratiâ ejus ex-  
cidendi, cessit. Proh dolor! quoties re-  
spectus hominum causa fuit, ut in cordi-  
bus hominum Christus moreretur? quoties,  
ut in ijs non nasceretur? cessant, aut me-  
ruunt ad Deum spectare, veriti tum opi-  
niones, tum sermones hominum; mundus  
timetur, at quid is denique mali inferre  
nobis potest? non verò timetur Deus; &  
quid is mali nobis inferre non potest? ti-  
memus verba frivola; & non timemus in-  
ferorum pœnas; in quas incidendi periculo  
timor iste nos exponit. estne hominis  
prudens, stultorum formidare judicia?  
istorum contemptus, & vituperia veræ  
sunt laudes. Et hisce terreris? estne i-  
psis prudentior?

*Statue te publicè virtutis sectatorem declara-  
re, nec boni quidquam facere per ostentationem,  
neque ex hominum respectu omittere.*

Non enim erubescō Evangelium.  
*Rom. 1. 16.*

Erubescunt negare Christum; & non  
erubescunt negare verba Christi. *Aug.  
Serm. 48.*

DIES

## DIES XIII.

## De Signis Teporis.

## I.

PRImus effectus, primúmque signum teporis est, sua pietatis exercitia, orationes, lectiones, communiones facile, & levi de causa omittere. Minimum impedimentum ab illis nos abstrahit: otiosæ occupationes, minimus prætextus animæ tepidæ rationes validæ sunt, iisdem se eximendi. Deus, & omnia, quæ ad Deum referuntur, ultimum semper locum apud illam obtinent. Nec ijs se impendit, nisi proprio genio id ei suggerente, vel quando aliud non habet, quod agat. E contrario anima fervens, cum Deus in ipsius spiritu, & corde primum semper locum occupet, officijs pietatis semper primas tribuit. Causæ validissimæ ei debiles videntur, ubi de similibus obeundis agitur. Nihil præter impossibilitatem, & charitatem efficere potest, ut ijs se subducatur. Deum nunquam, nisi propter Deum relinquit. Quoties tu Deum pro mundo, pro nugis deseris? linquerésne Regem cum famulo confabulaturus? hæc enormis ru-

sti

Junius.

sticitas censeretur. An non Deus tantus est, ut parem honorem mereatur?

II. Alterum temporis indicium est negligentia, qua quis officia pietatis obit, Deoque illis ipsis actionibus, quibus eum honorare cupit, honorem subtrahit. Inde oriuntur orationes absque reverentia, absque attentione, sine fervore, sine emolumento; ita ut juxta mentem Prophetæ *Oratio ejus fiat in peccatum*, & Deus irriteretur per ipsammet orationem, quæ ad ipsum mitigandum est aptissima. Inde Confessiones sine præparatione, sine dolore, sine proposito, sine morum emendatione, ut proin videantur hujusmodi homines peccata sua sacerdoti reterege, ut denuò ea committant, eaque committere, ut ea denuò retegant. Inde Communiones sine præparatione, sine fervore, sine viva illa fide tantopere necessaria, ad fructum inde capiendum, sine fame illa spirituali, quæ simul est signum, eos sentire, cibum hunc sibi esse necessarium, unaque experiri, qualis dispositio exigatur, ut desideratum ex hoc cibo fructum sperare queant. Atque ita homines isti hoc pane fortium vescuntur; & nihilominus in suis infirmitatibus semper hærent; &, dum identidem cibum An-

ge.

gelorum sumunt, vitam ducunt volun-  
luptariam, & animale[m]. Quàm insolens  
prodigium! quàm funestum miraculum!

III. Tertium teporis signum est con-  
tinua mentis evagatio, in qua animæ tepi-  
dæ vitam transigunt; & insolens cordis,  
& spiritûs licentia; quæ facit, ut nullo  
habito discrimine, rebus omnis generis  
vanis, & frivolis, periculosis, & quandó-  
que sceleratis sese implicant, nullámque  
vim sibi inferant ad coërcendas sensuum,  
imaginationis, spiritûs, cordisque sui e-  
vagaciones. Nihil ipsis tam molestum  
est, quàm obligatio animum colligendi,  
ut vias suas observent, commotionibus a-  
nimi invigilent, perturbationes, & con-  
fusions omnes conscientiæ malè constitu-  
tæ cognoscant: quin & studio eas scire de-  
trectant, veriti, ne cogantur ea adhibere  
media, quibus illæ juvari queant. Deni-  
que nihil ita cupiunt, ut tempus fallere, à  
negotijs parùm gratis mentem avertere;  
sèque ipsos hebetes reddere ad sentiendos  
conscientiæ importunæ stimulos. An non  
ex his originem suam habet mentis, in  
qua vivis, evagatio?

*Inquire in te[m]etipsum, ut cognoscas, an non  
habet aliquod ex hisce teporis indicijs; an non  
omnia habeas?*

Non

Junius

Non est minoratio in salute ipsius. *Ecol.*  
39. 23.

Qui calorem fidei non habet, tolerabilius ei fuisset, fidem non accepisse, quam neglexisse. *S. Ambros.*

## DIES XIV.

## Alia Teporis Signa.

I.

Quartum teporis signum est consuetudo, potissimam actionum suarum partem sine consideratione, & intentione peragendi; sed potius proprio placito, vel quodam animi motu, vel ex usu, vel hominum respectu, aut alio philautiae instinctu; adeò, ut si tepidæ istæ animæ consueverint scrutari, & actiones suas, quin sibi met blandiantur, discutere velint, deprehensuræ sint, se nullum ferè opus facere, quod purè dirigatur ad Deum, & cuius ipse unicum incitamentum sit, & scopus; & ubi inanis gloriolæ desiderium, propriique commodi, aut genij consecratio, meliorem sibi partem non vendicent. *Heu!* quanto terrore anima tepida obruetur! quantusque etiam mihi forsan in mortis articulo injicietur, ubi, cum mihi  
mul.

multum laborasse videbar, effecisse nihil, <sup>Junius.</sup>  
cognovero; idcirco quod omnes actiones,  
quarum Deus finis non est, nihili habeantur,  
quippe quæ ad felicem æternitatem  
consequendam inutiles sunt.

II. Quintum teporis signum est negli-  
gentia virtutes Christianas acquirendi,  
immoderatas animi motiones impugnan-  
di, & opera bona conditioni suæ propria  
peragendi. Hisce tribus comprehendun-  
tur omnia, quæ Christiani officio, ut ita  
loquar, innata sunt, ejusque præcipuum  
studium esse debent; & nihilominus anima  
tepida penitus hæc negligit; ubi est cura  
ad virtutes Christianas, humilitatem, pa-  
tientiam, mansuetudinem, charitatem,  
mortificationem pertingendi? studetne  
hisce acquirendis anima tepori dedita?  
potestne dicere, se vel minimos in ijs pro-  
gressus fecisse? ubi est cura impugnandi  
immoderatos animi sui affectus, eosque  
superandi, quantumvis hæc victoria ad  
acquirendas virtutes necessaria sit? ubi de-  
nique cura, bona opera conditioni suæ pro-  
pria exercendi? quam inutilis, & otiosa sit  
vita hominis tepidi, ex eo manifestum est,  
quod obligationes etiam summè necessa-  
rias missas faciat.

Q

III. Sex-

Iunius.

III. Sextum teporis signum est neglectus minimorum, v. g. parvorum operum, levium defectuum, exigui in speciem momenti regularum; idcirco, quòd nobis non persuadeamus, nihil parvum esse, quod tanto Deo placere, vel displicere potest.

*Luc. 16. v. 10.*

Cujus rei Christus ipse nos admonet: *qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est.* Et qui in his fidelis non est, nec in alijs erit: siquidem perfectio in plurium rerum modicarum congerie versatur: in rebus parvis semper esse fidelem, res parva non est. Non nisi magna pro Deo agere velle, idem est, ac nihil agere pro ipso velle: cum parvi sumus, possumusne quidquam magni pro Deo præstare? nihil magnum esse potest, nisi eatenus, quatenus ad Deum, studio eidem placendi, refertur. Heu me! an non socordia mea in rebus parvis evidens argumentum est, fervorem meum valdè esse modicum, & ignaviam meam supra modum grandem?

*Confundere ob cæcitatem, qua hætenus laborasti, dum modica omnia, quæ Deo placere, vel displicere possunt, parvi, aut nihili fecisti.*

*Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est. Luc. 16 10.*

Non sunt contemnenda quasi parva, sine quibus magna constare non possunt, *Hieron. Epist. 9.*

DIES



Janius.

suadere sibi prudenter non potest, se gratiam Sacramenti accepisse, qui ejusdem non experitur effectum; cujus est hominem contra tentationes roborare, & à peccato tueri.

II. Licet justissimi misericordiâ Dei, & Sacramentorum virtute nixi credere debeant, se in gratia esse, nihilominus, cum perfectam certitudinem habere non possint, semper habent, quod metuant, seque demissè gerant: quo enim certitudinem hanc stabilire possent? evidentiâ? hoc fieri non potest: siquidem gratia, sive ea consideretur in sua causa, sive in seipsa, sive in suis effectibus, cum sub sensus non cadat, evidenter cognosci non potest à nobis, qui in cognitionibus nostris operâ sensuum sumopere indigemus. Si hanc certitudinem fundamus in fide, nos ea docet, nos absque revelatione statum gratiæ exploratum habere non posse; habésne revelationem? haud inficias iverim, certa quædam haberi signa, quæ nobis persuadeant, nos in gratia esse constitutos; ea tamen non omninò penitus errore sunt immunia, & proinsemper relinquunt, quod metuamus, nosque demittamus. Quàm hæc incertitudo Domine, terribilis est, & quàm noxia nobis foret, si tu nos non tuereris! Verùm  
cum

cum ea ad reprimendam superbiam, me- Junius  
que intra modestiæ limites continendum  
necessaria sit, lubens ei me subijcio.

III. Quis habebat, ut quidem videtur,  
majorem, statum gratiæ sibi pollicendi,  
rationem, quàm Divus Paulus? raptus i-  
psus ad tertium usque Cælum, zelus ille  
gloriæ divinæ, gesta, atque tolerata ad il-  
lam promovendam, ardens ille amor,  
quo in Christum ferebatur, an non certò  
statum gratiæ ipsi promittere poterant?  
& tamen quid dicit? *Nihil enim mihi conscius*

1. Cor. 4. v. 4

*sum: sed non in hoc justificatus sum.* At quæ-  
nam est causa timoris, qui tam modico ni-  
ri fundamento videtur? hæc est, subdit  
Apostolus, quia is, à quo judicandus sum,  
Deus est: qui longè perspicaciores habet  
oculos, & cogitationes, quàm homines  
habeant: *Qui judicat me, Dominus est.* At-  
que hoc terrorem mihi injicit; hoc me  
cogit, ut modestè me geram. Hæc cum  
ita sint, quis audebit, quantumvis fervens  
sit, quantumvis Sanctus videatur, asseve-  
rare, se in gratia constitutum esse? quis  
non timeat? quis se non deprimat? nihil  
est præter modestum hunc timorem, quod  
nobis securitatem dare queat.

Ibid.

Iuuius.

*Utere terribili hac incertitudine status gratis ad te submittendum, & non, uti fortasse facis, ad te turbandum, & animum abijciendum.*

*Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit. Eccli. 9. 1.*

*Terribilis est locus iste; totus corrorui, si quando in illum incidi. Bern.*

## DIES XVI.

## De Reverentia in Æde Sacra.

## I.

**T**empla nostra templa sunt Dei viventis, in quæ homo se confert, debitam ei summisionem testaturus; quam reverenter igitur in eis nos gerere debemus? si is, qui curiosè nimis hanc Majestatem scrutatur, opprimetur ab ejus gloria, quid de illo fiet, qui debitam ei reverentiam negat? Seraphini, Spiritus tam puri, alis suis faciem contegunt, & præ reverentia erga tam tremendam Majestatem in ipsam humilitatis abyssum se demittunt; quantopere igitur trepidare nos oportet, qui terræ vermiculi, & peccatores sumus? Pias superstiosa Turcarum in suis fanis Christianorum in suis templis impietatem con-

condemnat. Ethnici ipsi æternæ damnationis sententiam suo modo in eos ferent. Nam quantum isti fanis suis honorem non adhibent; etsi ea idolis duntaxat, quæ adorant, dicata sint. Si intueris reverentiam Ethnicorum in suis delubris, judicares, eorum idola Deos esse; si videres Christianorum in ædibus sacris irreverentias, eorum Deum idolum esse affirmares. At experientur olim, rem non ita se habere, sed Deum habere oculos ad contuendas infames eorum immodestias, & brachium ad eas plectendas. Si Deus morte punijt plus, quàm quinquaginta Bethsamarum millia, quòd oculo parùm reverenti fæderis arcam aspexerint, quas vindictas non sumet de Sacrarum sibi Ædium prophanatoribus? Imò Christus cætera tam mansuetus ubique, iræ fræna laxare visus est adversus templi prophanatores. Si igitur tam severè in illos animadvertit, cum ut Servator venit, quid tunc fiet, cum ut Judex est venturus?

II. Tempia nostra domus sunt orationis; ut nimirum homo eò se conferat, ad Deum adorandum, ad ei supplicandum, sibi que necessaria flagitanda. Tu ad templum concedis, Deum adoraturus, & venire videris eidem insultaturus, ob insolentias,

Q 4

tias,

Iunius.

tias, quas ipso præsentem admittis; eò venis, ipsum placaturus, & tuis irreverentijs ad iracundiam provocas. Agnoscis te miserum, & eò te confers, miserias, & necessitates tuas ei propositurus, eumque, ut tibi subveniat, rogaturus; & cum superbiæ signis ei te sistis, éstne hoc medium ipsius commiserationem, & opem tibi conciliandi? Petis ab eo gratias, & simul injurijs eum afficis, atque ex ipsa oratione, qui præcipuus est Religionis actus, causam peccati, & abominabilis facis? mentis evagatio, quæ tam flagitiosa est, cum Deum alloqueris, minimum est precum tuarum delictum. Quí loqui Deo audes, eo modo, & corporis situ, quo nec Magnarum ulli loqui auderes? áne Deus minore dignus est honore, quàm quidam terræ vermiculus?

III. *Templa nostra Calvariæ montem nobis exhibent: cum quanto igitur demissionis, reverentiæ, compunctionis affectu nosmet ibi sistere debemus? Super aris nostris idem sacrificium, eadem víctima litatur, quæ litata fuit in monte Calvariæ, & per eundem sacerdotem Christum, qui sacerdos est non visibilis, cuius vices obit sacerdos visibilis, eundem in finem idem sanguis ibi funditur, eandemque virtutem habet. Servator híc sanguinem suum*

suum pro te fundit, & tu per impietatem Iunius.  
tuam pedibus eum conculcas. Ipse conatur iram Patris sui tibi irati mitigare; & tu aliud non agis, quàm ut eum ad maiorem iram concites; ipse grande hoc sacrificium pro te offert, & tu forsan eo ipso tempore immodestis tuis aspectibus, impuris tuis desiderijs Asmodæo sacrificas. Si in Calvariæ monte sacrificio adstitisses, qualesnam tuæ cogitationes tunc fuissent? an non eadem animo volvere te oportet, dum Missæ adstas sacrificio; cùm id prorsus idem sit, quod ibi fuit oblatum? Iustinissēsne ejus hostibus te jungere, ut ei insultares, vel ejus carnificibus, ut eum torqueres? an non hoc ipsum, durante Sacro, facis per immodestias, & irreverentias tuas, quæ renovant opprobria Cruciatuum Christi, quos istud sacrificium nobis in memoriam revocat.


*Pete à Deo irreverentiarum tuarum in templo admissarum veniam, & promitte, te per contrariam agendi rationem eas compensaturum.*

Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. 1. Cor. 3. 17.

Occasio luxuriæ Religio deputabitur.  
*Sept.*

DIES

Iunius



DIES XVII.  
De Adversis.

## I.

**C**Hristus Dominus cum sit omnium hominum Pater, ante mortem testamentum suum condidit, & hæreditatem inter filios suos ipsemet partitus est. Sed, quod mireris, & malos voluptatum, & hujus vitæ gaudiorum: probos autem ærumnarum, afflictionum hæredes scripsit. *Mundus gaudebit; vos verò contristabimini.* Hæc est partitio, quam fecit Sapiencia æterna; ac proin nonnisi justissima esse potest. Pessimique boni aliquid agunt: nec ullum bonum, inquit Divus Augustinus, sub regno Dei infinitè justi sine remuneratione abibit. Itaque pro modico bono dantur præmia operi convenientia, nempe bona quædam temporalia, voluptates quædam caducæ. Hominum piorum nullus est, qui inter multa bona non etiam mali quid agat: levia hæc mala pænis levibus puniri merentur; magna autem bona, quæ agunt, bonis compensabuntur infinitis, bonis æternis, quid justius?

10an. 160

II. Ho.

II. Homines probi conquerendi causam Junius,  
non habent, etiam, quod ad hanc vitam at-  
tinet. Gaudium malorum sæpè non nisi  
apparens, vanum, & plerumque immun-  
dum, sempèrque brevissimum est. Non,  
nisi apparens est, quia non consistit, nisi  
in bonis falsis; quæ non rarò vera mala  
sunt. Vanum est, quia ejus fontes vani  
sunt, neque cor hominis satiare, neque ejus  
capacitatem quodammodo infinitam re-  
plere possunt. Purum non est, non so-  
lùm, quia multis semper molestijs permi-  
stum est; sed etiam, quia è peccato nasci-  
tur; quod, cùm homines non meliores,  
sed è contrario deteriores reddat, facere  
eos verè felices nequit. Semper breve est,  
quia cum eorum vita evanescit, in infelici-  
tatem sempiternam desitutum. ànne hoc  
gaudium invidiam, ànne nomen remune-  
rationis meretur? an id homines felices  
reddere dici potest?

III. Contrà verò tristitia, & afflictio  
hominum proborum frequenter non nisi  
apparens est, sæpè in solis consistens sen-  
sibus, nec ad cor usque penetrat: dum pars  
inferior agitur, turbaturque, superior  
tranquilla pace fruitur. Homini probò  
deliciæ, & amici sui eripi possunt, Deus  
verò eripi ei non potest. Atque hujus bo-  
ni

ni

Iuuius,

ni possessio præponderat omnibus malis, quæ ipsi contingere possunt. Is Deum suum possidet; hoc bonum omnium ei bonorum est loco: ejusque pacem tuetur in medijs perturbationum causis, quæ ei se offerunt; nec eum, nisi exterius affligunt; ad interiora verò non pertingunt. Denique tristitia hominum proborum brevis est; & cum vita fortietur finem; adeoque ejus terminus haud procul abest. Et hæc tristitia apparens, & brevis gaudio, & pace immutabili, æternaque commutabitur. estne hæc injusta partitio? habentne homines probi conquerendi rationem, etiam, si hæc vita spectetur?

*Erubescere de querelis, quæ forsitan abripi te passus es, considerata malorum prosperitate, vel ærumnis, quas divina providentia obvenire tibi permisit. An non summopere injustus es, dum injustitiæ accusas Deum?*

Mundus gaudebit; vos verò contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Joan. 16. 20.*

Christianorum est, pati mala temporalia, & sperare bona sempiterna. *Aug. Serm. 100.*

## DIES XVIII.

Quàm Amplum sit Præceptum  
Amoris in Deum.

## I.

**D**iliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua, & ex totis viribus tuis: hoc est, inquit Servator, primum, & maximum mandatum. An hoc observas? quid est amare Deum ex toto corde suo? est, nihil magis amare, quàm Deum, nempe Deum omnibus præhabere, adeò, ut parati simus, bonorum, honoris, atque ipsius vitæ nostræ jacturam facere potius, quàm Deum offendere, ut dicere cum Apostolo possimus: *quis nos separabit à charitate Christi? quis nos à Deo nostro se- junget? quivis Christianus sic animo comparatus esse debet, si quidem æternam sperare salutem velit. Amare Deum ex toto corde suo, est, nihil amare cum Deo, quod amemus, sicut Deum. Vellemus quidem amare Deum, eique servire; at simul e- tiam mundo; verùm id præcepto isto vera- tur, & Christus averſatur. Amare Deum ex toto corde suo. Est, nihil amare, quod amori erga Deum sociari nequeat. Divi- tiæ,*

Marth. 22

37:

Pom 8. 36.

tiæ,

Junius.

tiæ, voluptates, honores huic amori per se non adversantur, immoderatus verò erga hæc bona affectus conciliari cum hoc amore non potest. Itaque vel huic immoderato affectui, vel amori in Deum nuntium remittas necessum est.

II. *Amare Deum ex toto corde suo.* Est, cum Deo nullam rem amare, quæ cum Deo cor nostrum partiri posset. estne nimium vehemens, & tener amor erga rem quamvis in se innocentem innocens. Ut primum cor nostrum Deum inter, & creaturam partitur? Deus primas ubique, & vel totum, vel nihil habere cupit. *Amare Deum ex toto corde suo*, est nihil amare cum Deo, quod non amemus propter Deum. *Amare Deum ex toto corde, suo*, est nihil amare, nisi Deum, vel potius, est amare Deum in omnibus, quæ amamus, adeò, ut ipse semper sit præcipuus amoris nostri scopus. Quam longè ab hac perfectione abes, quantumque tibi viæ superest conficiendum, ut eò pertingas? *Amare Deum ex tota anima sua*, est illi consecrare omnes animi nostri motus, atque voluptuosa, & inordinata desideria, ita ut inferiorem animæ partem superiori, & superiorem Deo subijciamus; Deumque non solum amori, sed ferventis amoris nostri scopum statuamus, ut caveamus, ne  
cre-

creaturis nos affigamus amore nimis te- Junius.  
 nero, & sensibili, qui nos potius ad se,  
 quàm ad Deum rapiat. Amasne hac ra-  
 tione Deum?

III. *Amare Deum ex tota mente sua, & ex  
 toto intellectu suo*, est intellectum, & ratio-  
 nem nostram Deo submittere, ut quidquid  
 Deus dixit, credamus; est præcipuum stu-  
 dium, & gloriam nostram in eo ponere,  
 ut ipsum agnoscamus. Si cuncta reliqua  
 ignores, & Deum bene cognoscas, doctus  
 es satis; est illum præ omnibus æstimare;  
 vel potius præter ipsum nihil æstimare.  
 Semper parvi sumus, inquebat vir qui-  
 dam Sanctus, si extra Deum rem quampiam  
 reputemus magnam. *Amare Deum ex tota  
 mente sua*, est semper, vel certè crebrò de  
 eo cogitare. Dei oblivisci exigui momen-  
 ti res æstimatur. Ah! grande malum, &  
 quantorum malorum id non est origo? nec  
 momentum abit, quo Deus tui non recor-  
 detur; & tu de ipso ferè nunquam cogitas.  
 Quantus contemptus, quantumve ingrati  
 animi argumentum! *Amare Deum ex totis  
 viribus suis*, est unicè, vel certè præcipuè  
 bona, fanitatem, vires, naturæque dona  
 Dei cultui impendere. Ab ipso omnia  
 hæc bona cùm acceperis, an non æquum  
 est, ut ijs utaris ad testandum amorem  
 tuum

Iuuius.

uum erga ipsum, gratiamque beneficiorum memoriam comprobendam? Eheu! quoties illis usus es ad ipsum offendendum?

*Tu in vita ignava tutum te iudicas, ratus satis tibi esse praecepta Dei servare: audésne tibi polliceri, te praeceptum primum servare?*

Plenitudo legis est dilectio. *Rom. 13. 10.*

Ille te minùs amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat. *August.*

## DIES XIX. De Humilitate.

I.

**I**nveniuntur homines patientes, charitatis studiosi, liberales, casti, sibi austeri, mansueti: at homines verè humiles ubinam terrarum inveniuntur? interea aliae virtutes sine humilitate honestos homines, bonos, ethnicos, sed verè Christianos reddere non possunt. Sine humilitate nec Christianismus, nec sine Christianismo subsistit humilitas. Non est, nisi verè Christianus, qui humilis esse possit. Sed nec invenitur nisi homo sincerè humilis, qui verè Christianus esse queat. Philosophi antiqui, qui tam praeclara de alijs virtutu-

tutibus dixere, ne nomen quidem humili- Iunius.  
tatis novere. Ideo Christus Dominus af- Matt. 11. 2.  
firmavit, præter se neminem esse, qui doce-  
re humilitatem queat: *Discite à me, quia hu-  
milis sum corde.*

II. Sine humilitate salutem æternam  
consequi æquè parùm possumus, quàm  
sine Baptismo: nec unum minùs altero ne-  
cessarium est. Cur Baptismum necessa-  
rium esse credis? ideo nempe, quia Chri-  
stus tibi dixit: *Nisi quis renatus fuerit ex a-* Io. 3.  
*qua, & spiritu sancto, non intrabit in Re-*  
*gnum Cælorum.* Verùm an non is ipse omni  
asseveratione discipulis affirmavit: *Nisi* Matth. 18.  
*efficiamini (humiles) sicut parvuli, non in-* v. 2.  
*trabitis in Regnum Cælorum.* Cur igitur  
unum, non item alterum credis? vel certè  
cur ita vivis, ac si id non crederes? imò, ac  
si contrarium tibi persuasum esset? an non  
utrumque verbo Dei, qui falli non potest,  
nititur? fides nos docet, salutem non ob-  
tineri, nisi vitam nostram ad Christi vitam  
conformemus: jam verò Evangelium, &  
ratio nos convincunt, nos vitam nostram  
ad vitam Christi conformare sine humili-  
tate non posse. An non igitur fides, & ratio  
ad condemnandam superbiam nostram  
conspirant, eamque nobis veluti repro-  
bationis signum ob oculos ponunt?

R

III, Hu-

Junius.

III. Humilitatis virtus cuiusvis hominum statui, & conditioni, convenit. Principes non minùs, quàm infima sæx populi, ad eam obligantur. Praxis quidem istius difficilior ipsis accidit, neque tamen minùs eam exercere obstricti sunt. Vilioris conditionis homines non rarò deprimuntur, quin tamen sint humiles. Magnates esse vellent humiles, sine tamen sui demissione. Et nihilominus deprimere se debent sub omnipotenti Dei manu; agnoscere debent, se penitus ab ipso pendere, velut ab eo, à quo proficiscitur omnis eorum potentia, quâ ipsis uti non licet, nisi ad tuendam divinam. Persuadere sibi debent, se præter id, ad quod obligantur, nihil posse; se cum Deo comparatos infinites viliorese esse, quàm sint eorum subditi, si cum ipsis comparentur; Deum communem utrorumque esse Dominum, se tantummodò ipsius primarios esse subditos, & eò magis demissè gerere se debere; cum non aliud Evangelium, nec alia lex, nec aliæ veritates ipsis, quàm subditis eorum præscribantur. Deprimere se debent cogitatione, memores, nihil sibi profuturum, quòd magni sint, nisi coram Deo sint magni, id est, parvuli in oculis suis, & sincerè humiles; minimos suorum subditorum olim majores fore, quàm ipsi sint; nisi ipsi sint

sint humiliores. Demittere se debent, dum *Junius.* considerant, suum statum opponi vitæ, & statui Dei pauperis, & humilis, suamque elevationem, quod consequens est, magnam sibi præbere sui demittendi ansam; cum illa non modico ipsis sit obstaculo, quò minùs Christo similes fiant, salutemque suam in tuto collocent.

*Pete à Christo Domino, ut te admirabilem banc doctrinam doceat, cum is solus ejusdem sit magister.*

Nisi conversi fueritis, & efficiamini, sicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum. *Matth. 18. 3.*

Quantumcunque te dejeceris, humilior Christo non eris. *Hieron. Epist. 6.*

DIES XX.

De Mortificationis Necessitate.

I.

Salutem æternam consequi non possumus, si Christiani non sumus, nec esse Christiani possumus, si sacro fonte non sumus abluti, eo verò ablui non possumus, quin ad sensus, cunctosque animi motus, atque inordinatas inclinationes nostras

*Quicumque baptizati sumus, in morte ipsius baptizati sumus: consepulti enim sumus cum*

R 2

com-

Junius.

*illo per Ba-  
ptismum in  
mortem.**Rom. 8. 3.*

comprimendas ita obligemur, ut hoc munere nos eximere nemo possit. Baptismus juxta Divi Pauli doctrinam est imago quædam mortis, & sepulturæ Christi Domini, qui nos ab eo tempore ad nobismet ipsis, & peccato moriendum, nosque penitus vivos cum Christo sepeliendos obstringit. Imò juxta Apostolum hoc Sacramentum vitæ, mortis quoddam Sacramentum est, atque cunabulorum juxta, ac cumbæ tener locum; dumque vitam gratiæ nobis tribuit, ad moriendum vitæ voluptariæ, naturæque corruptæ nos obligat. Atque hoc sat nobis indicatur omnibus illis ritibus, qui in conferendo Baptismo adhibentur.

II. Quid sibi volunt renuntiationes ad deò solennes, quas illi, qui nos è sacro fonte suscepere pronuntiârunt eo tempore, quo nos dictorum rituum obligationes cognoscere non poteramus? sed nos ijs nos subijcere, easque ratas habere debuimus, ut primùm ætatem prudentiæ capacem attingimus. An non hoc est se obligare ad vitam in continua impotentium animi morum compressione transigendam? tunc temporis ad pedem Altaris, in conspectu cæli, & terræ affirmâsti, te mundo, & ejus pompis, Diabolo, & ejus operibus, carni,  
&

& ejus voluptatibus renuntiare. **Credis- junius.**  
ne igitur, has meras esse ceremonias, quæ  
nos ad nihil obstringant? hæc est promif-  
fio quædam solennis Deo facta, qua minùs,  
quàm quibusvis alijs votis solvi possumus.  
Cedo; an non hæc est obligatio in perpetua  
quadam sui victoria vivendi? quid enim est  
mundo, ejusque pompis renuntiare, nisi  
se obstringere ad subjugandum perpetim  
hunc mentis affectum, quo in vanos ho-  
nores, & mundi pompas ferimur? quid est  
carni, ejusque illecebris renuntiare, nisi se  
obligare ad carnem suam, ejusdemque cu-  
piditates cruci affigendas? ad reprimen-  
das sensuum suorum immoderationes, si-  
bique voluptarum sive sceleratarum, sive  
periculofarum usu interdicens? an non  
hoc est exercitium mortificationis Christia-  
næ?

III. Libenter nos subijcimus pænis, ad  
quas nos fortuna, ambitio, & omnes aliæ  
nostræ cupiditates alliciunt; ubi agitur de  
ijs satiandis, omnia nobis facilia accidunt.  
Sed Eheu! quis est ille, qui subijcere se ve-  
lit mortificationibus, ad quas dignitas  
Christiana, eique annexa munera nos ob-  
stringunt? omnia tunc difficillima, imò &  
impossibilia videntur, quis est ex illis e-  
tiam, qui vitam agere valdè probam cre-


Iunius

duntur, qui impotentes suas propension-  
 nes subigere efficaciter conerur? qui hanc  
 superbiam, hanc ambitionem, præservi-  
 dam hanc animi commotionem, hunc ad  
 mundi bona, & delicias affectum, hanc ad  
 oblectamenta sua adhæſionem vincere ni-  
 tatur? quis etiam est illorum, qui exactio-  
 rem pietatem profitentur, qui affectui do-  
 minanti penitus exterminando se impen-  
 dat? In hoc tamen vera ſanctitas verla-  
 tur, quia includit obligationes Christianis-  
 mi naturæ inſitas. Omnes religionis actus,  
 qui huc non tendunt, nugæ ſunt, & veræ  
 deceptiones. An non hactenus ijsdem fui-  
 ſti deditus?

*Revoca nonnihil in mentem obligationes Ba-  
 ptismi tui, & renuntiationes, quas in eo feciſti,  
 ut confundare, ubi videris, te ijs tam parum ſa-  
 tisfeciffe.*

Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam  
 Crucifixerunt cum vitiis, & concupiſcen-  
 tiis ſuis. *Galat. 5. 24.*

Te Vince, & mundus eſt victus. *Aug.  
 Sermon. 5.*



DIES



Iudius.

nec unicum smotum exercuit, cuius nos non essemus finis; an non igitur æquum est, ut & ipse sit finis omnium nostrorum?

II. Etsi iustitiæ lege non teneremur omnes nostras actiones ad Deum referre, propria certè utilitate adducti, id præstare deberemus. Actiones bonæ, cùm ad Deum referuntur, meliores, & illæ, quæ nec bonæ, nec malæ sunt, bonæ evadunt. Non est opus, quantumvis vile credatur, quod hac intentione non elevetur; nec ullum, quod possessionem Dei non mereatur, quod gradum aliquem æternæ gloriæ nobis non afferat. Quantas ergo divitias, quantos thesauros congerere nobis non possumus? quàm admirabile arcanum facile, & brevi tempore ditescendi! & verò pauperes, & egeni esse meremur, si, cùm ex egestate nostra modicis adeò sumptibus emergere possumus, tam bonam occasionem negligamus. Puritas intentionis est quædam chimia species in vita spirituali, quæ modum invenit omnia in aurum commutandi, & pretium tribuendi rebus, quæ illo carent. Medium breve, & facile intra modicum tempus ad eminentem sanctitatem pertingendi. S. Maria Magdalena dePazzi in quadam extasi vidit B. Aloysium deGonzaga, cuius festa lux hodie, agitur in  
lo-

loco valdè sublimi inter cæli incolas, u- uaius.  
nâque intellexit, illum eò erectum ob in-  
tentionis puritatem, qua locum illum  
meritus fuerat.

III. Quanto nobis solatio in vita esse  
potest, pervenire posse ad sanctitatem in-  
solitam, etsi nihil insoliti præstiterimus,  
dum omnes nostras actiones ad Deum re-  
ferre satagimus? quanto solatio nobis in  
mortis erit articulo per tam sanctam pra-  
xin multa collegisse, etsi non multum la-  
boraverimus; grandia merita coacervâsse,  
etsi grandia non egerimus; videre, Deum  
rationem habiturum minimorum operum;  
& eorum quoque, quæ in se nec bona,  
nec mala sunt, neque sibi persuasurum, se  
ea nimum remunerari æternitate gloriæ  
ea remunerando, an non hoc stupendum  
arcanum est, ex omnibus faciendi quæ-  
stum; & è nihilo multum faciendi? Quan-  
ta è contrario desperatio nos obruet in hora  
mortis ubi id neglexerimus; ubi videbimus,  
nos defectu puræ hujus intentionis, post  
multos labores nihil collegisse? & quia ni-  
hil nisi ventum seminavimus ob vanita-  
tem, quæ operum nostrorum fuit moti-  
vum, nihil etiam præter ventos messuisse?  
ubi videbimus, nos, ut ita dicam, tantum

Junius,

de æterna gloria perdidisse, quot opera ad Deum referre negleximus.

*Statue prævertere tantam infelicitatem percuram, quam in te suscipies, omnes actiones tuas continuò ad Deum referendi.*

Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam Dei facite. *1. Cor. 10. 31.*

Major tibi merces est, si modò citra mercedis spem feceris. *Chrysost.*

## FESTUM.

## Sanctissimæ Trinitatis,

*De mysterio SS. Trinitatis*

## I.

**C**redo, adoro, amo Sanctissimam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, unum, solum Deum in tribus Personis. Credo; quem non comprehendo; adoro, quem non concipio; amo, quem non video. Credo, adoro, amo Patrem, qui me creavit; Filium, qui me redemit; Spiritum Sanctum, qui me sanctificavit; Patrem, qui per suam omnipotentiam me sustentat; Filium, qui per sapientiam suam me gubernat; Spiritum San.

Sanctum, qui per suam bonitatem vita me Janius.  
impertit, & per charitatem suam animat.  
Honoro potentiam Patris, supremo ejus  
Dominio voluntariè me submittendo ;  
honoro sapientiam Filij, ejus directioni me  
penitus committendo, honoro bonitatem  
Spiritus Sancti, illicij amoris ejus assen-  
tiendo.

II. O Trinitas adoranda ! tu Deus  
meus non esses, nisi rationem meam supe-  
rares ; nec cor meum te amare, & ut Deum  
meum adorare posset, si intellectus meus  
te comprehenderet ; quia infinitus non es-  
ses, si incomprehensibilis non esses ; nec  
Deus meus esses, si infinitus non esses ;  
quò minùs te comprehendo, eò magis in  
te credere, eò magis adorare te debeo : quò  
magis cognitiones meas superas, eò magis  
reverentiam, & amorem meum promere-  
ris. Tu modò scopus es fidei, & adora-  
tionum mearum, & olim Beatitudo, & u-  
nicus amor meus eris. Tu modò causa  
meriti mei es, & olim merces, & felicitas  
mea eris. Tu modò te mihi abscondis,  
ad augenda merita mea, & olim ad me  
coronandum te mihi revelabis.

III. Non possum te nunc meliùs hono-  
rare, quàm per meam reverentiam, per  
meas admirationes, & silentium. Atque  
hoc

Iunius,

hoc silentium interrumpere nolo, nisi ut me Seraphinis associem, cum ipsis ingeminaturus; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* Gloria sit Patri, qui filium suum generat per virtutem infinitam intellectus sui. Gloria sit Filio, qui generatur ad similitudinem Patris sui. Gloria sit Spiritui Sancto, quem Pater, & Filius spirant se contemplantando, velut beatorum amoris sui terminum. Gloria sit tribus Sanctissimæ Trinitatis Personis, quæ suamet sunt Beatitudo, & dum se amant, quantum amari merentur, infinitæ sibi gloriæ sunt causa. Quando fiet, adoranda Trinitas, ut felices simus eadem felicitate, qua tu? quando eandem habebimus occupationem, quam tu, quæ est, te possidere, te amare, & te per totam æternitatem glorificare?

*Sufficiat tibi credere, & adorare grande Trinitatis mysterium, quod omnium aliorum est fundamentum.*

Tres sunt, qui testimonium dant in Cælo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. *Ioan. Epist. 1. 15. v. 7.*

Deus ubique secretus est, ubique publicus, quem non licet, ut est, cognoscere, & quem nemo permittitur ignorare. *Aug. in Psal. 74.*

FE-



Iunius,

ut materia in loco aliquo sit in modum cuiusdam spiritûs; ut substantia redigatur in nihilum, ut accidentia subsistent absque subiecto, ut Theologi loquuntur, & eadem, quæ ipsa substantia, efficiant. Ad hæc miracula patranda, omni Dei potentia opus est: Hæc verò si credimus, opus est omni Pharaonis duritia, ut ijs non moveamur.

II. Sanctissima Eucharistia est summè admiranda sapientiæ divinæ inventio. Potestne hæc clariùs elucere, quàm, dum illa inter se conciliantur, quæ sibi plurimum opposita videntur? dum Deus, ut videtur, immensitate sua exiit, ut se spacio divisionem vix admittenti includat; & speciem quandam immensitatis corpori tribuit, idque in tot, tamque remotis inter se locis præsens statuit; dum Majestatem suam sub exiguis speciebus abscondit, ut dignum fidei nostræ præbeat objectum; dum simul Bonitatem suam testatam facit, ut nos ad sui amorem potenter moveat, dum suam divinitatem sub carne occultat, veluti sub esca quadam, quæ corda sensibus, & voluptatibus dedita ad se allicere, & rapere possit: dum verò carnem hanc speciebus panis tegit, ne eam sensus nostri avertentur, utque se mollitiæ nostræ ac-

com-

commodet, nulla omnium legum habita lunius,  
ratione, ut obstacula vincat, quæ ipsum  
impediebant, quò minùs se nobis imper-  
tiret, dùmque adeò potentiam suam ho-  
minis potestati subdit, ut in momento, &  
verbo solo omnia hæc miracula patrare  
queat?

III. Potentia tua, Domine, inaudita  
est, & inventiones sapientiæ, & amoris  
tui admirandæ. *Quæ fecisti magnalia Deus,*  
*quis similis tibi?* Verùm tamen tanta non *Psal 70. 19.*  
est, ut non etiam debilis quædam creatura,  
qualis ego sum, omni tuæ potentia resistere,  
& cor meum adeò pervicax esse  
queat; ut stupendis sapientiæ, & amoris  
tui inventis se non dedat. An non hoc  
æquè inauditum prodigium est, ac omnia  
miracula, quæ in hocce mysterio facis, quod  
cor hominis adeò imbecille toti divinæ po-  
tentia se opponat; quòd cor hominis tam  
renerum, & in se adeò molle, tam durum,  
& inhumanum sit, ut moveri se non sinat  
tot prodigijs, quæ nonnisi ipsius gratiâ  
patras? Ah! Domine, post tot potentia,  
& sapientiæ tuæ miracula, ad gloriam  
tuam spectat miraculum edere Bonitatis,  
perfringere nimirum cordis mei duritiem,  
mèque vel invito superare obstacula, quæ  
misericordiæ tuæ effectibus pono; sed hoc  
dein-

Iunius.

deinceps me invito non amplius fiet; probè enim adverto per interiorem animi mei sensum, quòd tu hoc miraculum operari incipias.

*Cùm Deus tot prodigia patret, ut ad te veniat, æquum est, ut omnibus viribus te præparas ad eum dignè excipiendum.*

Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus; escam dedit timentibus se. *Psal. 110. v. 4. & 5.*

Audeo dicere, cùm sit potentissimus, plus dare non potuit. *Aug.*

## DIES II. OCTAVÆ.

De Liberalitate Amoris Jesu  
Christi in SS. Eucharistia.

## I.

**B**onitati proprium est, se communicare, & bonitati infinitæ, se communicare infinitè. Deus, ut hanc communicandi sui expleret sitim, hominem omni bonorum genere cumulavit, cùm, quod ad naturam, tum, quod ad gratiam attinet; sed totum id, quod hæctenus homini dederat, cor ejus satiare non potuit; adeoque homo in medio etiam abundantia indigum se deprehendit; quia, etsi omnia bona possideret; omnium tamen bonorum  
fon.

fontem non possidebat. Ad satiandum *Junius.*  
 proin hominem, necessarium erat, ut Deus, postquam bona sua ei impertit, seipsum denique eidem impertiret. Atque hoc præstitit, dum humanam carnem assumpsit; & tum non nisi Humanitati sanctæ se uniit; nec ulla alia est, cui se propriè unierit; ut igitur perfectè nobis faceret satis, necessum insuper erat, ut cuivis homini se impertiret: quod & fecit in sanctissima Eucharistia, ubi ipsum Verbum, quod Humanitati sanctæ se donavit, se verè, & re ipsa donat cuivis homini privatim. quantum donum!

II. Christus ergo se nobis donat in SS. Eucharistia, & quidem totum se, cum nobis corpus, animam, sanguinem, & divinitatem suam præbet. Hæc omnia nobis donat modo omnium perfectissimo; siquidem, qui per sacram Communionem verè, & re ipsa Christum possidet, ditissimus evadit: nam ut Divus Augustinus ait, Deus factus est possessio mea; atque idcirco *de toto Deo dives sum.* Verum est, quod Christianus, juxta phrasim Paulinam, Christum per fidem possideat. Hoc tamen non est, nisi possessio cognitionis, & quidem perquam obscuræ. Verum est, quod justus eum possideat per charitatē; hæc tamē possessio fit per

*Ephes. 3.*

*Rom. 5.*

S

608

Tunius.

consensum voluntatum, & non per unionem substantiarum. At in S. Communionem Christum possidemus possessione prorsus intima, verissima, &, ut cum Schola loquar, penitus reali; dūmque possidemus dominio tam absoluto, ut cum ipso penitus ex placito nostro agere possimus, ita, ut Christus in Sanctissima Eucharistia totus sit noster, nobisque ad omnia sit utilis; is simul est Pastor, & Nutritius noster, Medicus, & Remedium nostrum; Dux & Viaticum nostrum; Redemptor, & Praerium Redemptionis nostræ. *Omnia nobis est Christus.*

Ambros.

III. Si Christus in Sanctissima Eucharistia se nobis donavit, an imperare nobis possumus, quin totos nos ipsi donemus? is omnes suos thesauros, cor meum proprii commodi studiosum lucraturus, exhaustit: at, cū actum se agere animadverteret, se ipsum denique nobis in Sanctissimo hoc Sacramento donare voluit, ut amorem nostrum obtineret. Posteaquam omnibus ejus beneficijs ingrati restitimus, possūmusne contra ipsummet insurgere? si quid seipso melius donare nobis posset, donaret profectò. Totus Deus cū sit, melius tamen aliquid seipso dare nobis haud potest.

*Quid*

Quid retribuam pro te ipso? inquiebat S. Bernardus. Si omnia tua beneficia comprehendere nequivi, qui comprehendam beneficium ejusmodi, quo teipsum mihi præbes? Si omnia mundi totius imperia, omniâque hominum corda offerre tibi possem, daremne tibi hæc omnia donando, rem quampiam, quæ Deum valeret? cor meum modici prorsus est pretij; & nihilominus, si id tibi integrum sincerè dono, contentus es. Væ mihi! si Deo non facio satis, qui tam modico contentus est.

*Statue te totum Deo dare, qui totum se tibi dedit.*

Da Altissimo secundum datum ejus.  
*Eccli. 35. 12.*

Quid enim poterat dare seipso melius, vel ipse? *Bern.*

---

### DIES III. OCTAVÆ.

#### De Teneritudine Amoris Christi in SS. Eucharistia.

I.

**T**eneritudo Amoris IESU Christi elucet è desiderio, quo tenetur, & vi, quam sibi infert, ut in Sanctissima Eucharistia se nobis uniat unione perfectissima, plurimum

S 2 mmm

Iunius

mum admiranda; atque adeo incomprehensa, ac ulla esse possit. In natura nihil habemus, quod suppeditare nobis queat species ad eam nobis explicandam aptas, hæc enim unio non est purè superficialia, qualem duobus corporibus tribuit præsentia in eodem loco existentibus. Non est unio quædam intellectualis, qua unitur intellectus cum re à se cognita. Non est unio purè voluntatis, qualem parit amor inter eos, qui mutuò se amant. Non est unio duntaxat per fidem, cum hæc illam præcedere debeat. Hæc unio omnium istarum unionum aliquid complectitur; sed insuper ampliùs aliquid, quàm illæ. De natura hujus unionis dici potest, quod de natura Dei affirmatur, nempe eam meliùs exprimi posse, si dicatur, quid non sit, quàm, quid sit; credi eam, & cogitari, non item comprehendere, & explicari posse; eam esse verissimam, omni tamen humano intellectu superiorem; eam re ipsa existere: sed effectus suos non procreare, nisi in ijs, qui ad S. Synaxin cum fide viva, & charitate sincera accedunt; eam esse secundum carnem, ut S. Cyrillus loquitur; sed effectus ejus esse spirituales.

II. Sancti Patres hanc unionem, quam sum Christo in Sanctissimo Eucharistia

Sa-

Sacramento habemus, comparant illi, <sup>Iucius</sup>  
 quam ferrum ardens cum igne habet, quo  
 ita penetratum est, ut ignis potius, quam  
 ferrum esse videatur. Item unioni, quam  
 surculus habet cum trunco Silvestri; cui  
 totam suam dulcedinem impertit, ut eum  
 excellentium frugum reddat feracem,  
 quin tamen ab eius amaritie quidquam as-  
 sumat: sed totum hoc nondum attingit  
 hanc unionem. Necessarium est, ut Chri-  
 stus ipse nobis auxilio sit, ad justam ejus-  
 dem idæam formandam; cum mirabilem  
 hanc unionem comparat illi, quam ali-  
 mentum cum nostris corporibus habet,  
 perfectissimam omnino, & prorsus inti-  
 mam, quæ in natura inveniri potest. Si-  
 quidem ex alimento, & eo, quod illud su-  
 mit, eadem penitus res constituitur: *Caro*  
*mea*, inquit Christus, *verè est cibus, & san-* <sup>Io. 6. v. 57</sup>  
*guis meus verè est potus: qui manducat meam*  
*carnem, & bibit meum sanguinem, in me ma-*  
*net, & ego in illo.* Potèstne quid efficacius  
 dici? Christus rem magis adhuc urget, dum  
 unionem, quam in S. Communionem cum  
 ipso accipimus, comparat unioni, quam  
 ipse habet cum æterno Patre in Sanctissi-  
 ma Trinitate. Quemadmodum in San-  
 ctissima Trinitate, inquit, *ego vivo propter* <sup>ibid.</sup>  
*Patrem (& eadem vita, qua Pater meus)*

S 3

sic:

Junius

fic: & qui manducat me, & ipse vivet propter me ( & eadem vita, qua ego ) quid majus, quid admirabilius?

III. Si Christus amoris sui teneritudinem nobis testatur in Sanctissima Eucharistia se nobiscum uniendo, æquum est, ut etiam nos amoris nostri teneritudinem ipsi testemur impendendo vires nostras, ut eidem uniamur per fidem vivam, charitatem ferventem, & perfectam cordis, & spiritûs cum illo consensionem: Talem esse oportet effectum bonæ Communionis, sed effectum fallere nescium, idcirco, quòd Verbo Dei, quod fallere non potest, nitatur. Verùm si effectus iste fallere non potest, quò fit, ut is toties non sequatur? Causa est, quòd obices ei ponamus. Duæ res uniri inter se non possunt, si minimum quid interponatur. Sic nos inter, & Christum perfecta unio fieri nequit, quia peccata, immoderatae animi motiones, & cupiditates, quæ cordi nostro dominantur, nos inter, & ipsum ponuntur. Tuum est, Domine, me juvare in superandis his obstaculis: an non enim tibi æquè, ac mihi, probrosum est, si potentia tua repugnantia meæ cedat? abstrahere igitur, & simul, si necessarium, priva me omnibus creaturis, quæ impedire possunt unionem, quam tecum habere cupio, priva me omnibus, si te possideo, dives ero satis. Scru-

Scrutare cor tuum, ut videas, annon in eo <sup>Iunius.</sup>  
sit cupiditas, quæ hanc unionem impediat, quæ  
certus est bonæ Communionis effectus.

Qui manducat meam carnem, & bibit  
meum sanguinem, in me manet, & ego  
in illo Io. 6. 55.

Transimus in id, quod comedimus. S.  
Leo.

DIES IV. OCTAVÆ.

De Generositate Amoris Chri-  
sti in SS. Eucharistia.

I.

SI vis amoris Christi se prodit in grandibus  
miraculis, quæ ipse in sanctissima Eucha-  
ristia patrat, si ipsius liberalitas elucet è ma-  
gnis bonis, quæ nobis in illa largitur; gene-  
rositas amoris ipsius clariùs adhuc se prodit  
in rebus molestis, quæ in ea sustinenda ve-  
niunt. Nihil Deo infinite potenti, & di-  
viti magis, ut ita dicam, innatum est, quàm  
multa præstare, & donare. Sed nihil Deo  
infinite beato magis oppositum est, quàm  
pati adversa; & tamen hæc amor ipsius in  
SS. Eucharistia admittit. Sunt quædam  
adversa, quæ lubens amplexatur, &

S 4

pro-

Junius.

propterea esse cupit in hoc Sacramento veluti victima, ut Patri suo quotidie se offerat, & per Sacrificium incruentum imolet, ac morte quadam mystica moriatur, itaque se reapse quotidie mori paratum esse testetur, si id ad salutem nostram foret necessarium. In hoc Mysterio multò prodigiosius in nihilum se redigit, quàm in ipsa humanæ carnis assumptione. Denique morari hic vult in perpetua mortificatione, cum nullam actionem exerceat, nullum vitæ signum edat, omni potentiarum suarum usu sibi interdicit.

II. Sed hæc calamitates, quantumcumque austeræ videantur, ut amænas læto animo amplexatur, idcirco, quòd nobis sunt proficiuæ; sed adhuc magis suum nobis demonstrat amorem, dum se obijcit ærumnis, tantò sibi crudelioribus, quantò nobis funestioribus; quia scelerum nostrorum sunt appendices. quanta pati eum non oportet in hoc Sacramento ab impietate tot sceleratorum, qui Sacratissima Eucharistia abutuntur ad horrendas prorsus profanationes? à tot hæreticis, qui ex ea sibi cudunt blasphemiarum suarum scopum, & ex hoc insigni divini amoris testimonio offensarum ansam? quid non pati eum oportet à languore, vel potiùs insolentia tot perverforum Catholicorum, qui tremendis  
hiscè

hisce Mysteriis non alium ob finem assiste- Junius.  
re videntur, quàm ut insultent humilitati Dei, ipsorum amore ad nihilum usque se deprimentis? quid pati non debet à socordia tot Christianorum, quorum aliqui præ tædio huic sanctissimo Mysterio se subducunt, vel cū inaudito torpore ad id accedunt, vel id super altari in tristi solitudine relinquunt. Verùm crudelius adhuc est, quòd improbissimè à tot perversis hominibus tractetur, qui per sacrilegas Communiones renovant Judæ perfidiam, dum è memoria Passionis ipsius, renovationem omnium, quas pertulit, injuriarum faciunt.

III. Ipse prævidebat omnia hæc mala, quibus exponendus esset, si adorandum hoc Sacramentum instirueret; sed desiderium, quo tenebatur ad nos veniendi, ad omnes difficultates superandas eum impulit. Credidit cordis humani spoliū omnibus hisce pænis dignissimum esse. Visne iis te associare, qui dolorum ipsius causa sunt, cū potiùs miseratione tangi deberes, & totis viribus impedire, ne alij in posterum eum offendant? Visne te jungere protervis illis Christianis, ut ei per inmodestias tuas ignominiam crees? ignavis illis, ut vel ad S. Synaxim tepidè accedas, vel eam ex contemptu penitus negligas; perfidis illis, ut eum osculo prodas?

Vel


Junius.

Vel potiùs, non vis te ipsi consecrando, honorare statum, quo se victimam tui amore fecit? statum profundæ depressionis, in quem se propter te demisit, infra omnes creaturas se deprimendo? ejus statum mortificationis habilè te reddendo ad eum excipiendum per sensuum, & cupiditatum tuarum compressionem? Denique non vis gratum ei testari animum pro ignominis, quibus se exposuit amore tui, omnibus viribus contendendo eas compensare?

*Statue Domino sarcire injurias, quibus se propter te exposuit, cum reverentia, & fervore, ad divina Mysteria accedendo.*

Filios enutrivì, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me. *Isa. 1. 2.*

Quænam nobis est excusatio, cum talibus pasti talia peccemus? *Chrysof.*



## DIES V. OCTAVÆ.

Quosnã Fines Christus in Sanctissima Eucharistia sibi præfixerit.

I.

**P**RODIGIA, quæ Christus patravit, ut in sanctissimo Eucharistiæ Mysterio ad nos veniret, indicant, non minores ejusdem esse

esse fines : nam si potentia divina se mani-  
festat, dum magna ex nihilo procreat, ejus  
sapientiæ non convenit, magna patrare  
non præstituro illis fine. Deus in Eucha-  
ristiæ Sacramento renovat, & colligit o-  
mnia magna miracula, quæ unquam edidit.  
Maxima potentiæ divinæ molimina, &  
sumè admirandæ inventiones ejus sapien-  
tiæ sunt Mundi creatio, Verbi Incarnatio,  
Hominum Redemptio. Christus omnia  
miracula hisce mysteriis comprehensa in  
sanctissima Eucharistia, renovat, & in unum  
colligit. Renovat Miraculum Creatio-  
nis, quia sacerdos (ut cum scholis loquar)  
independenter ab omni subjecto roties  
producit Christi corpus, quoties verba  
consecrationis pronuntiat. Accedit aliud  
insuper Miraculum non minùs inusitarum,  
quàm illud Creationis, dum omnia, ut  
vocant, accidentia insistere nihilo viden-  
tur, conservarique sine ulla materia, à  
qua sustententur.

II. Deus in SS. Eucharistia Miraculum  
renovat Incarnationis. Eapropter SS.  
Patres sanctissimum Eucharistiæ Mysteri-  
um appellant extensionem Incarnationis.  
Et sanè ipsum Verbum, quod se Humani-  
tati sanctæ uniit in Incarnatione, cuius pri-  
vatim se unit in SS. Eucharistia, hoc tamen  
discrimine (quòd ad sanctissimæ Eucha-  
ristiæ

Iunius.

riffiæ gloriam cedit) quòd in Incarnatione unio Verbi cum Humanitate sancta unam personam efficiat è duabus naturis, non verò unam, eandemque substantiam: in Eucharistia verò is, qui Christi Corpus sumit, una quodammodò eademque substantia cum Christo fiat. In Incarnatione homo fit Deus, in Eucharistia fit totus divinus. *Non dii, sed divini*; ut S. Dionysius loquitur. Denique Deus in hoc Sacramento renovat miracula, quæ in Mysterio Redemprionis humanæ, & sacrificio Crucis contigerê: siquidem Eucharistia non Sacramentum duntaxat, sed & sacrificium quoddam est, atque illud ipsum, quod in monte Calvarix fuit oblatum. Idem est sacerdos, qui illud offert, nempe Homo-Deus; eadem est victima; idem est finis, nempe honorare Deum Patrem, ipsumque nobis reconciliare, & impetrare, quibus indigemus, gratias. Quot non miracula, quot non Mysteria hoc Sacramento continentur?

III. Deus infinitè sapiens grandia præstare non potest, nisi magnum in finem. Quænam igitur consilia esse debent, quæ de nobis concepit, cum tanta miracula patravit, ut ad nos in sanctissima Eucharistia veniret? id credere non possemus, nisi ipse.

ipse nobis indicasset. Primum est, non tantum vitam nobis dare, sed vitam abundantem, vitam prorsus divinam, ita, ut eadem, quam ipse, vitam vivamus. Alterum consilium est, nos sibi unire unione intima, & perfectissima, quae concipi possit. Tertium consilium est, eum in modum agere, ut sicut ipse unice vivit per Patrem, & propter Patrem; sic is, qui ipsum in sanctissima Eucharistia sumit, non nisi per ipsum, & propter ipsum vivat. Potestne Deus, quantumvis omnipotens sit, majus quid in hominis favore statuere? potestne homo, quantumcunque ambitiosus sit, ad majora aspirare? qualis levitas, qualis socordia, eidem non respondere? Imò, quanta ingrati animi nota, vel potius dementia, eis se opponere? Heu me! quoties ego iis me opposui?

*Statue, quantum in te est, omnes vires impendere, ut te ad Christum in sanctissimo Eucharistiae Sacramento sumendum prepares; & magnis illis consiliis, quae de te concepit, cum ad te venit, respondere.*

Quae fecisti magnalia Deus! quis similis tibi? *Psal. 70. 19.*

Christus hoc Sacramentum instituit, tanquam Passionis suae memoriale perenne, & miraculorum ab ipso factorum maximum *S. Thomas.*

DIES

Junius.


*Ego veni, ut vitam habeant & abundantius habeant.*

*Io 10.*

*In me manet, & ego in eo loan. 6. 10.*

*Qui manducat me, & ipse vivet propter me. ibid.*

Iunius.



DIES VI. OCTAVÆ.

De obstaculis, quæ consiliis  
Christi in sanctissima Eucha-  
ristia ponimus.

I.

SI magna illa prodigiâ, quæ Christus in sanctissima Eucharistia patrat, è desiderio ad nos veniendi, argumentum sunt, eum grandia concepisse consilia, tunc modicum illud, quod post tot molimina in ea operatur, ostendit, nos gravia ipsi obstacula ponere. Videtur homo disceptare cum Deo, ei que ostendere velle, repugnantiam suam potentia Dei, & ingratum animum ejusdem bonitati prævalere. Homo ipsemet propriae felicitatis inimicus totis viribus se opponit cunctis molitionibus, quas Deus in ipsius solummodo bonum adhibet, cursumque sistit gratiarum, quas Deus in eum derivare desiderat. Unica S. Communio singulos nos reddere sanctos deberet: & nihilominus, quemnam finem tot Communiones sortiuntur? videntur sane aliò non collimare, quam ut nos ignaviores reddant, & imperfectiores. Unde:  
hæc

hæc confusio oritur? ex eo, quòd tres præcipuè sanctissimo huic Mysterio ponamus obices, qui totidem adversantur consiliis, quæ Christus in S. Eucharistia se nobis dando, concepit. Primum Servatoris consilium est, dare, conservare, & augere vitam gratiæ; & huic nos opponimus accedendo ad divinum hoc Sacramentum cum affectu ad peccatum mortale.

II. Consilium secundum, quod Dei Filius se nobis in S. Eucharistia donando habuit, est, ut nos secum uniat: isti verò resistimus per affectus vel nimium inordinatos, vel nimium vehementes, vel nimium voluptuarios, quæ in creaturas ferimur. Modica subinde sunt, quæque nihili ducenda videntur; sed hoc ipsum nihil est id, quod omnia impedit, & aliquoties evertit consilia, quæ Deus concepit, animæ alicui sanctitatem conferendi. Ah! potestne parvi æstimari, potestne nihilum reputari, quod liberalitatis divinæ cursum inhibet, & perfectam illam impedit unionem, quam Christus nobiscum affectat? unionem, quæ summè admirabilis, summèque utilis, quin & certissimus bonæ Communionis effectus est? ab hac infelicitate eximium te credis, quòd creaturis non immoderatè te addictum esse sentias.

rias.

Junius.

tias. Verùm, an non nimiùm tibi met ipsi addictus es? Hoc solum satis est ad impediendum Communionum tuarum fructum. An non hoc est, quod Communiones tuas adeò frequentes tam inutiles, & forsan etiam nocivas reddit?

III. Tertium Servatoris consilium in SS. Eucharistiæ Mysterio est efficere, ut sibi vivamus, ea ratione, qua ipse Patri suo vivit, ita ut sicut Pater æternus principium & finis est omnium actionum ipsius, sic & Christus omnium nostrarum principium & finis sit, & proinde dicere cum ipso possimus: *Non possum ego à me facere quidquam.* Pater est, qui in me & per me agit, ego verò nihil, nisi pro ipso ago. Huic consilio ingens obstaculum ponimus, dum non nisi mundo, non nisi creaturis, non nisi nobis ipsis vivimus, qua ergo ratione simul etiam Christo vivere poterimus. *Quæ conventio Christi ad Belial?* Natura, & animi affectio potissimarum actionum nostrarum principium sunt. Commodum proprium voluptas, inanis gloria, respectus hominum earundem sunt finis.

2. Cor. 6. 15.

Qui igitur spiritus Christi earum potest esse principium? quomodo eiusdem voluntas earum esse regula potest? quomodo ipsius gloria earum finis esse potest? an mi-

rum

rum dein est, si tam exiguum fructum è tot Junius  
Comunionibus capiamus? si loco profectus  
inde hauriendi, eas nobis funestas esse ad-  
vertamus?

*Examine, ut cognoscas, quodnam trium  
horum obstaculorum Christi Consilii in Eucha-  
ristia ponas: an non omnia tria ponis?*

Sicut misit me vivens Pater; & ego vi-  
vo propter Patrem, & qui manducat me,  
& ipse vivet propter me. *Ioan 6. v. 58.*

Habentem adhuc voluntatem peccan-  
di, gravari magis dico, Eucharistiæ perce-  
ptione, quàm purificari *Aug.*



## DIES VII. OCTAVÆ.

### De Præparatione ad S. Com- munionem.

#### I.

**M**Ajestas, & Sanctitas illius, qui in S.  
Communione ad nos venit, magni fi-  
nes, ob quos venit, magna miracula,  
quæ ad consilia sua implenda patrat; vili-  
tas denique nostra, & indignitas nos obli-  
gant, ut omnibus viribus contendamus,  
nec quidquam intentatum relinquamus,  
quò nos ad eum excipiendum paremus.

T

Si

**Iunius.**

Si Eucharistiæ Sacramentum, omnium nostrorum Sacramentorum sanctissimum juxta, & augustissimum est, tunc Communio, quæ nos ejusdem reddit participes, maxima vitæ nostræ, summique momenti actio est. Si non nisi semel in vita ad sacram Synaxin accedendum nobis foret, tota vita nostra, quantumvis longæva foret, & sancta, nec longæva, nec sancta nimis foret ad parandos nos vel uni soli Communioni; etsi eam in asperrimis pœnitentiæ, omniumque bonorum operum, & virtutum exercitiis, continuisque precibus transegissemus.

II. Quid igitur de nobis sentiendum, qui nec unicam diem, quid dico diem? imò nec aliquot horas præparationi ad S. Communionem consecrare volumus? si tantum temporis ad S. Communionem nobis præparandis non impendimus, quantum mereretur Majestas illius, quem in ea excipimus, saltem temporis, quod nos deficit, diurnitatem, fervore nostro sarciamus, & sancta quadam sollicitudine, quod possumus, præstemus, cum ob imbecillitatem nostram plus præstare non valeamus. Id ageremus, si istius Hospitis Majestatem, nostramque vilitatem, rationum momenta, ob quas ad nos se demittit,

at.

atque eximiam, quam inde haurire possu- Junius.  
mus, utilitatem probè exploratam habere-  
mus. Ignavia, & languor noster, quo ad  
hæc Mystéria accedimus, satis, superque  
demonstrant, nos vel non satis credere, De-  
um esse, qui ad nos divertit, vel ejusdem  
non esse memores. Quis enim ejus imme-  
mor sit, qui in eum credit? Si verò immé-  
mor non est, qui fieri potest, ut non præ-  
reverentia, erga supremam hanc Majesta-  
tem, infra terram ( si fieri posset ) se depri-  
mat?

III. Si omnes animæ nostræ facultates,  
omnem animi contentionem, omnem cor-  
dis nostri teneritudinem ad nos pro S. Com-  
munionem præparandos impenderemus,  
spectata tamen nostra indignitate acceden-  
dum nobis haud foret ad divina hæc My-  
stéria, nisi cum sancto quodam tremore, in-  
gentique confusione. Ita sensere viri san-  
ctissimi, animæ purissimæ. Quid ergo no-  
bis sentiendum? quanta esse confusio no-  
stra debet, & formido, si ad tremenda hæc  
Mystéria accedere non vereamur animo  
dissipato, sensibus vagabundis, corde divi-  
so? Tantùm abest, ut vitæ nostræ partem  
præparationi ad cælestes epulas tribua-  
mus; uti faciebat S. Franciscus Borgia.  
Vix aliquot momenta ei tribuimus. Tan-


Iunius

cùm abest, ut omnibus viribus contendamus ad formidanda hæc Mysteria percipienda nos præparare, tanta enim cum ignavia ad ea accedimus, ut Christum ad ejus probrum potiùs, nostramque damnationem sumere videamur. Cujus rei me & pœnitet, & pudet. Solatio tamen mihi est, Domine, quòd, sicut sol, cùm radios suos in obscurum aliquem carcerem immittit, rotam suam lucem eò secum infert; sic, ubi tu animam meam ingrederis, quantumvis impuram, & imperfectam, in eam inferas gloriam, & sanctitatem tuam, quin de iis quidquam perdas. Itaque tu ipse te in me recipe; cùm præter te nemo sit, qui hoc facere dignè possit.

*Statue satagere, ut præcipuum tuum negotium sit, ad S. Communionem te præparare.*

Opus namque grande est; neque enim homini præparatur habitatio, sed Deo. *1. Paral. 29. 1.*

Audiamus, quali esca facti sumus digni, audiamus, & horreamus. *Chrysoft.*



DIES



DIES VIII.

De Malo Sacrae Communionis usu.

I.

Nihil magis Deum honorat, nihil utilius nobis est, bono S. Communionis usu. nihil magis honorem divinum immittit, nihil nobis perniciosius est, ejusdem abusu. Is, qui legem Principis violat, culpæ reus est, quia ipsum reapse offendit: qui verò violentas eidem injicit manus, læsæ Majestatis reus censetur. Omnia quidem, & singula peccata Deum offendunt; cùm ejus legem violent: at Sacrilegium Deum ipsum invadit, & hominem læsæ divinæ Majestatis reum constituit: quia non modò Deum, sed Deum Servatorem aggreditur, qui hoc munere in sanctissimo hoc Mysterio fungitur, & omnes ejusdem partes implet: offendit enim ipsum in hoc Sacramento, quod insignè prorsus est amoris Christi erga hominem testimonium; & idcirco turpissimum omnium ingrati animi vitium est, dum homo è maximo beneficio, Deum gravissimè offendendi sumit ansam. Denique sa-

crilegium Christum offendit eo ipso tempore, cum is venit hominem omnibus bonis cumularurus, seque ipsum ei impertiturus. Quid horribilius? Imò Divinus Paulus verba non invenit satis efficacia ad exprimendam hujus vitij enormitatem. Ad Sanctissimam Eucharistiam indignè accedere, est juxta ipsum, *reum fieri Corporis, & sanguinis Iesu Christi, est manducare sibi judicium; est ipsius sanguinem prophanare, & Christum ipsum pedibus calcare.*

II. Si non est noxa, qua Deus magis offendatur, quàm Sacrilega Communio, nulla etiam est, quæ à Deo severiùs puniatur. Si curiositas minùs reverens Bethlamarum in aspicienda Arca, imprudentia Ozæ in ea tangenda tam terribiliter puniri meruère, quàm severè Deus animadvertet in illos, qui tam horrendè offendunt Sanctissimam Christi Humanitatem, quam *corporaliter inhabitat* divinitas, cujus non nisi imperfecta adumbratio erat Arca? Punit nempe illos duplici pænarum genere; quarum aliæ corporeæ, aliæ spirituales sunt. Gentium Doctor frequentes morbos, & funestos obitus Christianorum tribuit præpostero S. Communions usui, dum ait: *Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi.* SS. Cyprianus  
&

I, Cor. 11.  
24.

& Chrysostomus calamitates publicas im-  
 putant hujus Sacramenti prophanationi. Junius,  
 at longè terribiliores sunt pænæ spirituales,  
 queis Deus castigat eos, qui Sanctissimã Eu-  
 charistiam indignè sumunt. Cæcitas animi,  
 obduratio cordis, contumax usque ad vi-  
 tæ finem in delictis perseverantia, illius  
 effectus sunt usitatissimi: id sat, superque  
 apparet in exemplo Iudæ. Magister ipsius  
 grandia coram eo patrat miracula; ad ea  
 tamen cæcutit, non illustratur: quæ cæci-  
 tas! Christus ipsum benignè excipit, a-  
 manter osculatur, suum etiam amicum  
 appellat. Ad hæc ipse confunditur, non  
 movetur. Qualis durities! delabitur de-  
 nique ad desperationem, & reprobationem.  
 En effectus Sacrilegæ Communionis!

III. Sacrilegium crimen est, quod Deus  
 difficillimè remittit; cùm obstinatio, quæ  
 ordinarius ejus est effectus, animum eò de-  
 ducat, ut ad finem usque in peccatis per-  
 severet, & veniæ reddatur incapax. S.  
 Paulus aliam nobis hujus veritatis ratio-  
 nem suppeditat, cùm ait: *Non jam relinque-*  
*tur pro peccatis hostia.* Iesus Christus, vi-  
 ctima hæc adoranda, quæ pro nobis quo-  
 tidie offertur, sola iram Dei mitigare, ejus  
 sanguis effusus omnia peccata nostra dele-  
 re potest. Si verò hanc victimam injuria

Hebr. 10.

af-

Junius,

*Idcirco jura  
 & i domui  
 Heli, quod  
 non expietur  
 iniquitas do-  
 mūs ejus vi-  
 timis, &  
 muneribus  
 usque in æ-  
 ternum. 1.  
 Reg. c. 3.*

afficiamus; si ipsum Sacrificium in sacrilegium vertamus, si pretiosum hunc sanguinem pedibus conculcamus, victima ista, sacrificium istud, sanguis iste non modò iram Dei non placabunt, sed vindictam in nos provocabunt. Quid igitur nobis spèi est super? si Advocatus noster sit pars nobis adversa, ad quem confugiemus? Deus Heli sacerdoti testatur, omnia ad prophanationes Sacrificiorum expiandas sufficientia non fore, quæ in suis filiis toleravit. Credimusne, Deum minùs irritari prophanatione ejus sacrificij, ubi filius ipsius est sacerdos, & victima, & faciliùs placari?

*Obsequere consilio S. Pauli, suadentis, ut te ipsum probes priùs, quàm ad S. Synaxin accedas, ne iudicium tuum manduces, Christi Corpus indignè sumendo.*

Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. 1. Cor. 11. 28.

Quàm multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur. *Aug.*

**Finis Trimestris Secundi.**

**IN-**



# I N D E X

## Cogitationum,

vel

## Considerationum Christianarum pro Dominicis Anni.

*A Dominica Paschæ, usque ad  
Dominicam 4. post Pent.*

**D**ominica Paschatis. De Resurrectione Do-  
mini. Die 8. Aprilis.

Dominica in Albis. De vulneribus Christi  
Domini. 30. Aprilis.

Dominica 2. post Pascha. De obligatione  
Christum sequendi. 20. Maij.

Dominica 3. post Pascha. De rebus ad-  
versis. 17. Junij.

Dominica 4. post Pascha. De necessitate  
fidei. 1. Junij.

Dominica 5. post Pascha. De oratione.  
18. Maij.

Dominica 6. post Pascha. De patientia.  
16. April.

U

Do-

*Index.*


- Dominica Pentecostes.** *De Spiritus Sancti  
descensu.* 29. Maij.
- Dominica Sanctissimæ Trinitatis.** *De  
Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.* 22. Junij
- Dominica 1. post Pentecosten.** *De remis-  
sione injuriarum.* 16. Maij.
- Dominica 2. post Pentecosten.** *De fre-  
quenti Communione.* 15. Maij.
- Dominica 3. post. Pent.** *De cura salutis.*  
8. April.  
*vel De misericordia Dei peccatorem  
quærentis.* 21. Julij.
- Dominica 4. post Pent.** *De humilitate, vel  
necessitate gratiæ.* 15. Aprilis.
- Dominica 5. post Pent.** *De remedijs ira.*  
11. Aprilis
- Dominica 6. post Pent.** *De omnipotentia  
Dei.* 18. Aprilis.


**Finis Indicis voluminis Secun-  
di.**





ancti  
aij.  
De  
nij  
nis-  
aij.  
fre-  
aij.  
tis.  
ril.  
em  
lij.  
vel  
ilis.  
ira.  
cilis  
ntia  
lis.


nn-













Th 2  
4505